

DOCUMENTOS

I

UN FORMULARIO LATINO DE LA CANCELLERÍA REAL ARAGONESA (SIGLO XIV)

“Los diversos grupos de fuentes del derecho medieval castellano —decía Galo Sánchez en el ANUARIO de 1925¹— no han tenido la misma fortuna por lo que se refiere a su publicación. Se han editado en cantidad abundante ordenamientos de cortes, fueros municipales, diplomas..., *pero ni un solo formulario ha sido dado aún a la imprenta* por los modernos eruditos: cosa extraña, si se atiende al interés especial que estos documentos de aplicación del derecho ofrecen para la historia y que se echará de ver si se considera la íntima ligazón que entre fórmulas y diplomas existe.”

Las anteriores palabras del ilustre profesor de Historia del Derecho tienen también aplicación adecuada con respecto a los formularios medievales aragoneses, y animado, en gran parte, por ellas, me he decidido a publicar el presente, cuyo valor desde el punto de vista del derecho lo dejo, desde luego, a la apreciación de los juristas.

El estudio de las fórmulas de los documentos y por ende el de los formularios es interesantísimo. Breslau y Giry estiman que, frecuentemente, las fórmulas son a los textos diplomáticos lo que las fuentes primitivas a las obras históricas de ellas derivadas, siendo tan importante, a menudo, para la interpretación crítica de un documento, determinar las fórmulas utilizadas por el redactor, y, si se conservan, compararlas con las cartas, como determinar las fuentes utilizadas por el cronista y compararlas con su obra. Sería por demás interesante —decía Giry, quien se lamentaba tam-

¹ Al publicar su “Colección de fórmulas jurídicas castellanas de la Edad Media”. *Anuario de H. del D. E.*, 1925, pág. 470.

bién de que los formularios en Francia estuviesen mal estudiados e inéditos en gran número— conocer los autores de los principales formularios, la fecha exacta en que se compilaron, y sobre todo la influencia que ejercieron en determinadas cancillerías o épocas.

Por lo que respecta al que comienzo a publicar en el presente número del ANUARIO, no me ha sido posible averiguar algunos de los mencionados datos.

Se conserva actualmente, en la sección de Manuscritos de la Biblioteca Nacional de París (“Nouvelles acquisitions latines”, 1940), para la que fué comprado en 1908 de la colección del famoso bibliófilo inglés Phillips, en cuya biblioteca había figurado con la signatura 1028, según puede leerse en el folio 1.º, del que presento la fotografía (facsimil núm. 1).

Unos años después de la muerte del barón sir Thomas Phillips (1792-1872), que había recorrido, durante su vida, los principales países del continente para llegar a reunir en Cheltenham (Glocester) la biblioteca “más rica y más numerosa que ningún particular haya reunido jamás”, comenzaron a venderse sus colecciones de libros y manuscritos, verificándose 13 ventas en pública subasta, de 1886 a 1908. En la de este año adquiere Francia alrededor de 300 manuscritos (que se consideran como rescatados, por haber salido en otro tiempo del mismo país), entre los cuales se encuentra el formulario aragonés, que debió pertenecer anteriormente al colegio de jesuitas de Agen, según reza el ex-libris —que puede leerse en el aludido facsimil del folio I—, “Collegii Agen(ensis) Societ(at)is Jesu”.

El erudito Henri Omont, en la ficha que hizo del formulario en 1909² —y en la cual lo considera del siglo XIV-XV— lo titula *Formulaire d'actes des rois d'Aragon Alfonse IV et Pierre IV*. Aunque, en realidad, la inmensa mayoría de las actas se refieren a dichos reyes, las hay, por excepción, de otros, como Jaime II, y hasta de monarcas extranjeros, como Eduardo III de Inglaterra y Felipe VI de Valois y algunos ejemplos de documentos pontificios.

El manuscrito está en papel, encuadernado en piel (275 mm. × 210): la escritura, típicamente aragonesa de la época, ofrece cierta uniformidad —excepto al final—, aunque parecen haber intervenido varias manos. De ella presento cinco facsímiles de los folios que he creído más característicos (fols. 1, 89, 134, 146v. y 151).

² *Catalogue des manuscrits latins et français de la Collection Phillips acquis en 1908 pour la Bibliothèque Nationale*. Paris, 1909.

En general, las fórmulas no llevan data; cuando ésta aparece, se refiere siempre al siglo XIV. Al final, en el folio 151 v., se lee la de 1386, en un acta correspondiente a Pedro IV, lo que sirvió de base, seguramente, para que en siglos posteriores y junto a la mención errónea de *Marculfi formulae* —que también va en el lomo del códice—, se colocase dicha fecha de 1386, como si se tratase de la en que se redactó el formulario.

El manuscrito consta de 156 folios, pues si bien hay uno duplicado, el 153 bis, en cambio, el autor de la foliación pasó del 148 al 150. Esta se hizo por medio de los numerales romanos hasta el 145 inclusive: del 146 al final —excepto los 148 y 150— en cifras arábicas.

De los 156 folios se han perdido tres, como hago constar oportunamente, y hay algunos en blanco: totalmente, el 153, y más o menos parcialmente los 144, 145, 146, 147, 150, 151, 153 bis, 154, 155 y 156.

He procurado hacer la transcripción de la manera más exacta y fiel que me ha sido posible, aunque haciendo uso de la ortografía moderna, criterio seguido por otros paleógrafos. Tales modificaciones ortográficas se refieren principalmente a la limitación del empleo de las mayúsculas (las cuales se prodigan en el formulario), a la puntuación, a la supresión de las *ii* y *ss* largas, etc. Todo lo demás, como algunas incorrecciones gramaticales— que no abundan, pues, como se verá, el latín es bastante correcto—, duplicaciones innecesarias de letras, ausencia absoluta del empleo del diptongo, etc. etc., queda escrupulosamente respetado.

Las fórmulas van transcritas por el orden en que están insertas en el códice, habiéndoles añadido la numeración correlativa.

Antes de terminar este prólogo he de aludir a la existencia de otro formulario de la misma época que se guarda en la Biblioteca del Instituto de Estudios Catalanes, y fué adquirido —no ha mucho tiempo— por la Diputación Provincial, en un lote de manuscritos que pertenecieron a la biblioteca del historiador aragonés J. de Zurita. La adquisición de este *Formulario para uso de la Cancillería real en tiempos de Pedro el Ceremonioso* se consideró por la Prensa como la más valiosa de la colección comprada, por “no conocerse ningún otro del mismo carácter y época”.

Al dirigirme a París con el fin de estudiar y transcribir el que publico, intenté ver el de Barcelona, por si eran idénticos. Se hallaba en la encuadernación, y gracias a la amabilidad del señor Rubió, pu-

de hojearlo brevísimos momentos. Desde luego se trata de un formulario distinto del de París. Le faltan los 54 primeros folios, y al final tiene un índice alfabético por orden de materias. En ese rapidísimo examen pude darme cuenta —en lo que cabe— de que sus fórmulas son de tipo parecido a las contenidas en el de París, como lo indican sus títulos: *Forma legitimationis*, f.º 55, *Requisitio antequam concedatur marcha*, f.º 60, etc.

Teniendo el proyecto de hacer un estudio sobre la Diplomática aragonesa, pienso volver sobre él en tiempo oportuno para verificar un examen comparativo entre ambos y tratar de deducir cuál de ellos ejerció mayor influencia en los documentos emanados de la cancillería aragonesa de la época, aparte de otras consideraciones de índole diplomática.

M. USÓN Y SESÉ.

ADSIT PRINCIPIO SANCTA MARIA MEO. PRESENS HUIC OPERI SIT GRATIA
PNEUMATIS ALMI. ME JUVET IMPLERE QUOD UTILE FIAT.

IN HAC PARTE SUNT COMPILATE PLURES FORME CARTARUM ET LITTERARUM
REGIARUM DIVERSARUM RATIONUM ET CONTRACTUUM ET SPECIALITER DE
STILU CURIE.

I.—*Forma concessionis mercati.*

Nos Alfonsus, etc. Ob favorem .t., tenore presentis carte nostre, concedimus vobis hominibus et universitati loci nostri t. quod in loco ipso sit et celebretur mercatum, in perpetuo, in die sabbati cujuslibet septimane, volentes et concedentes quod omnes et singuli cujuscumque legis aut conditionis existant, ad dictum mercatum venientes, cum rebus et mercibus quas secum detulerint, sint salvi et securi in veniendo, stando ac etiam redeundo, et sub mea speciali protectione et guidatico constituti, sic quod non possint capi, detineri, pignorari, marcari, seu aliquatenus impediri culpa, crimine, vel debitis alienis, nisi ipsi in eis principales fuerint aut fideiussoris nomine obligati, nec etiam in hiis casibus, nisi prius in eis facta inventa fuerit de directo. Excipimus tamen ab hiis et excludimus proditores, falsatores monete, violatores itinerum, sodomitas, latrones, crimen lese magestatis comittentes et alios malefactores quoscumque. Mandamus per presentem cartam nostram procuratori nostro ejusque vices gerentibus, vicariis, bajulis ceterisque officialibus meis, presentibus et futuris, quod concessionem nostram hujusmodi teneant firmiter et observent, et faciant perpetuo inviolabiliter observari et non contraveniant aut aliquem contravenire permittant quavis ratione seu causa. Quicumque autem, ausu temerario ductus, ve-

marculphi
formula
n. 9. v. 5.

1386

Ad sit principio scia orana meo. p. p. huius op. sit gratia humanis
almose p. uet. r. facit p. p. quod uale. facit

In hac parte sunt compilare plures forme Cartarum et litterarum Regiarum
diuersas rationis r. gratiarum et p. p. de p. Curie

Forma concessionis orana

Nos Alfonso r. ob fauore r. benore p. p. Curie nre
concedimus vob hominibus r. omni p. p. loci nri. r. q. i. loco ipso sit r.
releberit n. n. p. p. die sabbati cuiuslibet septiman. valens
et redens q. omis et singli n. n. legis aut q. ditionis existat ad
dem oreratu veniens cum reb. r. mercib. q. p. p. deniderit
sint salu r. p. p. stando ac et redendo, et sub nra p. p.
p. p. r. g. d. n. c. o. n. s. t. i. t. u. t. i. t. u. r. s. i. t. q. p. o. s. s. i. n. t. i. n. p. i. d. e. n. i. p. i. g. n. o.
r. a. r. i. m. a. r. i. t. u. r. i. p. u. a. l. i. q. u. a. r. i. p. e. d. i. c. i. t. u. r. i. p. e. l. d. e. b. i. t. i. s. a. l. i. e. n. i. s.
n. n. r. e. i. s. p. r. i. n. c. i. p. a. l. i. s. s. i. n. t. a. u. t. f. i. d. e. i. m. p. o. r. i. d. n. o. i. e. o. b. l. i. g. a. n. t. n. e. c.
e. t. i. h. u. i. c. e. s. t. i. b. a. n. p. i. e. i. s. f. a. c. t. u. a. i. n. u. e. n. t. a. s. i. n. t. d. e. d. u. c. t. o. e. t.
i. p. i. m. i. s. r. a. n. t. e. a. b. h. u. i. c. e. r. e. l. i. d. i. b. i. s. p. d. i. c. t. o. r. i. s. p. a. l. a. r. o. r. i. s. m. o. n. t. e. n. o.
l. a. r. o. r. e. s. i. n. n. u. m. p. d. o. m. i. n. a. s. l. a. r. o. n. e. s. i. n. e. i. n. l. e. s. t. m. a. g. e. s. t. a. r. i. s. c. o.
m. i. t. t. e. n. t. e. s. r. a. l. i. o. s. m. a. l. e. f. a. c. t. o. r. e. s. q. u. o. s. t. i. q. u. e. a. d. i. u. d. a. n. t. e. s. p. p. p. e. n. t.
C. a. r. t. a. n. r. a. m. p. r. a. t. o. r. i. n. r. o. e. i. q. u. e. v. i. c. e. s. l. e. v. e. n. t. i. b. u. s. v. i. c. a. r. i. s. h. u. i. l. i. s.
c. i. u. i. l. i. b. u. s. o. f. f. i. c. i. a. l. i. b. u. s. n. r. i. s. p. p. r. i. n. c. i. p. a. l. i. b. u. s. r. s. u. b. i. t. i. s. q. u. e. c. o. n. t. r. e. s. s. i. o. n. e. n. r. a. m.
h. u. i. u. m. o. d. i. t. e. n. e. a. t. p. r. i. n. c. i. p. a. l. i. b. u. s. r. o. b. s. e. r. u. e. n. t. r. a. f. a. c. i. a. t. p. p. i. n. u. o. l. a. b. i. l. i. t. e. r.
o. b. s. e. r. u. a. r. e. r. n. o. g. r. u. e. n. i. a. t. a. u. t. a. l. i. q. u. e. o. r. i. e. n. t. e. p. u. n. i. t. a. t. a. l. i. q. u. a. p. u. n. i. t.
v. o. n. t. d. i. u. i. c. i. t. a. u. t. e. a. u. t. e. t. e. m. a. r. i. c. o. d. u. c. t. u. s. v. e. n. i. r. e. q. p. m. i. s. s. a. a. n. t. e. p.
t. a. u. c. e. r. i. t. n. r. a. m. e. t. p. i. d. i. g. n. a. t. i. o. n. e. n. r. a. m. i. p. e. n. a. o. m. n. i. u. m. a. u. t. o. r. u. m. n. r. o.
e. r. a. r. i. o. a. p. p. l. i. c. a. n. d. o. r. u. m. p. n. o. u. i. t. a. b. s. q. u. e. r. e. m. e. d. i. o. a. l. i. q. u. i. n. t. u. r. e. s. t. i. t. u. t. a. p. p. r. o.
i. l. l. a. t. o. p. m. i. s. s. i. s. r. p. l. e. n. a. r. e. s. t. i. t. u. t. i. o. n. e. i. n. n. o. u. i. t. e. t. i. n. t. i. m. o. n. i. u. m. r. e. d. a. t. u. m.

Signum — Alfonso r.
Vesta sunt r.



Now. acq. lat.
1940.

Phillips MS
1028

gulaeiter quidam in demandu transsumptum in demanone
in nullo vobis iure nec tangente et causa breuiatis in priorum
exempla in eo premissi iubentes vobis mittis per portum me
morum in demanone vobis affectu rogantes quate hys vobis et
iustie domo vobis zelus honore vobis in demanone ipse legatis
et districis sollicitate ut cum bona conscientia possitis conferendo

FACSIMIL NÚM. 2. Fragmento del folio LXXXIX.

plite vobis recuperacione et omnia que vobis tenere debetis seu ex copia aut
tunc gradato alio minime expectato in nullo et ita nos hunc iure cellas
et pro cellas heri vobis et de vobis pro cellas abolitis iure
atq. nullo sic q. vobis cu omnia bona vobis tangi quate ab soluta et iure
ab omnia et iure iure possitis iure esse et stare q. tota deam et dea
tione vobis salue iure et iure et de eis dispone q. vobis libito volutate

FACSIMIL NÚM. 3. Fragmento del folio CXXXIV.

in alio iure omnium et aliorum q. hunc in nullo iure iure
quodammodo et iure ab soluta et ita in nullo. Et vobis vobis q. hunc
iure in nullo vobis. Dicit vobis et ab soluta vobis q. iure
vobis et ab soluta et iure iure iure vobis et iure
iure vobis. Et q. iure iure iure ad iure
iure et iure vobis iure vobis et iure vobis

FACSIMIL NÚM. 4. - Fragmento del 146 v. Esta forma de cursiva se ve usada en muy pocos folios y solamente al final del Formulario.

et ipse iure possitis q. iure vobis. vobis vobis
iure deo iure iure iure et stare cu omnia
bonis vobis et ab iure vobis iure iure et iure vobis
vobis q. iure vobis et iure vobis

FACSIMIL NÚM. 5. - Fragmento del folio 151.

nire contra premissa atemptaverit, iram et indignationem nostram et penam mille aureorum nostro erario applicandorum, se noverit absque remedio aliquo incurrisse, dampno illato primitus et plenarie restituto. In cujus rei testimonium etc., Datum, etc.

Signum Alfonsi etc.

Testes sunt etc.

II.—*Forma concessionis nundinarum.*

Nos Alfonsus, etc. Circa melioramentum loci nostri .t., ut convenit, intendentes ut locus ipse suscipiat incrementum, ad supplicationem pro parte vestri proborum hominum et universitati dicti loci, concedimus vobis juratis probis hominibus et universitati dicti loci .t., quod in ipsa villa sint et celebrentur, de cetero, quolibet anno, nundine perpetuo, que incipiant die festi .t. et durent per tot dies continue sequentes, volentes et concedentes quod omnes et singuli cujuscumque legis aut conditionis existant, ad dictas nundinas venientes, cum rebus et mercibus quas secum detulerint, sint salvi et securi in veniendo, stando ac etiam redeundo, et sub mea speciali protectione in guidatico constituti, sic quod non possint capi, detineri, pignorari, marcari seu aliquatenus impediri culpa, crimine, vel debitis alienis, nisi ipsi in eis principales fuerint, aut fideiussoris nomine obligati, nec etiam in hiis casibus nisi prius in eis fathica inventa fuerit &c directo. Excipimus tamen ab hiis et excludimus proditores, falsatores monete, violatores, sodomitas, latrones ac crimen lese magestatis comittentes, et alios malefactores quoscumque, omnibus et singulis ad dictas nundinas venientibus ex uberiori gratia concedentes quod, infra quinque annos a data presentis carte nostre in antea numerandos, pro aliquibus rebus seu mercibus quas ad dictas nundinas detulerint, seu extraxerint ab inde, lezdam aliquam seu aliud jus quodcumque nobis solvere minime teneantur. Mandamus igitur, per presentem cartam nostram, procuratori nostro ejusque vices gerentibus, vicariis, baiulis, ceterisque officialibus nostris, presentibus et futuris, quod concessionem nostram hujusmodi teneant firmiter et observent, et faciant perpetuo inviolabiliter observari, et non contraveniant, aut aliquem contravenire permitant aliqua ratione. Quicumque autem, ausu temerario ductus, contra premissa venire presumpserit, iram et indignationem nostram et penam mille morabetinos auri, nostro erario applicandorum, se noverit, absque remedio aliquo incurrisse, dampno illato primitus et plenarie restituto. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

Signum Alfonsi etc.

Testes sunt etc.

Predicta vero clausula que incipit, omnibus et singulis, et finit minime teneantur, ponitur in carta nundinarum, quando dominus rex mandat ipsam poni, ex certa scientia.

III.—*Forma diffinitionis generalis de aministratis pro curia.*

Noverint universi quod nos Alfonsus, etc. Pensantes fidelitatem comprobata[m] nostri fidelis nostri .t., qui tam tempore illustrissimi domini Jacobi felicis memorie regis Aragonum patris nostri, quam nostro, multipliciter plura aministratis pro curia, recipiendo et distribuendo diversas pecunie quantitates, de quibus omnibus, videlicet, de illis de quibus ratio reddi debet, bonum et legale compotum reddidistis, prout certificati fuimus per dilectum consiliarium et magistrum racionalem curie mee .t., ea propter, fidelitatem et legalitatem vestram agnoscere volentes ac etiam aprobare, consideratis serviciis dicto domino Regi patri nostro et nobis a fidelitate vestra impensis, ad vestri cautelam ac quamcumque inquietitudinem evitandam vestri et vestrorum per nos et omnes successores nostros presentes et futuros, tenore presentis carte nostre, firmiter et perpetuo valiture, non seducti, nec in aliquo circumventi, set gratis et ex certa scientia, ac bono animo et spontanea voluntate, et ex nostre plenitudine voluntatis, absolvimus, deffinimus, remittimus et relaxamus vobis dicto .t. et vestris heredibus et successoribus et bonis vestris et eorum, perpetuo, omnem actionem, questionem, petitionem et demandam, et omnem penam civilem et criminalem et aliam quamlibet, nec non et omnem inquisitionem et alium processum quemcumque, quas seu quem, nos aut nostri seu alia persona, pro nobis vel nostris, possemus aliquo tempore facere, proponere, vel movere contra vos, vel vestros, aut bona vestra vel vestrorum, seu vobis aut eis infligere vel imponere, ratione seu occasione officiorum aminationum, collectarum, subsidiorum, questiarum, cenarum, montatici ac aliorum quorumque negotiorum, pro quibus, vel ratione quorum, recepistis, pro parte nostre curie, quantitates pecunie quascumque ac de eis soluciones fecistis ex cartis seu litteris dicti domini Regis et nostris, assignationum vel alius aut aliorum quorumque negotiorum nostrorum que hucusque quoquomodo rexeritis, negotiatus fueritis, tractaveritis, procuraveritis vel aministraveritis, vel ratione aminationis eorundem, nec non et ratione servitorum quorumcumque per vos, aut alium, vel alios, loco et nomine nostri receptorum, ratione dictorum officiorum vel collectarum, seu occasione solutionum per vos factarum de peccunia dictorum officiorum et collectarum aut aliis modis quibuslibet, nec minus etiam cujusque negligentie, sive culpe, late aut levis, in premissis vel aliquo premissorum per vos commissorum in damnum nostri vel nostrorum jurium quorumcumque, aut alia qualibet ratione vel causa quam, ratione dictorum officiorum seu negotiorum vel eorum aminationis, contra vos vel vestros dici aut nominari posset aliqua ratione; hanc autem absolutionem, diffinitionem, remissionem et relaxationem facimus, ex certa scientia, per nos et nostros, vobis jam dicto .t. et vestris successoribus et bonis vestris et eorum perpetuo,

sicut melius dici potest et intelligi, sic quod, de cetero, per nos vel successores nostros aut aliam personam pro nobis vel nostris, contra vos aut vestros seu bona vestra vel vestrorum, super predictis seu aliquibus eorundem, non possit inquiri, vel fieri aliqua petitio seu demanda, nec infligi aut imponi vobis vel vestris in persona vel bonis, aliqua petitio civilis vel criminalis, immo sitis vos et vestri una cum omnibus bonis vestris inde perpetuo absoluti, imponentes nobis et nostris per presentem cartam nostram, super predictis omnibus et singulis silentium sempiternum. Mandamus igitur, hujus scripti nostri serie, procuratori nostro ejusque vices gerentibus, vicariis, bajulis, calmedanis, curiis, justitiis ceterisque officialibus nostris, presentibus et futuris, quod absolutionem, diffinitionem, remissionem et relaxationem hujusmodi teneant firmiter et observent et faciant inviolabiliter observari et non contraveniant, aut aliquem contravenire permittant aliqua ratione. In cujus rei testimonium etc. ³

Signum Alfonsi etc.

Testes sunt etc.

IV.—*Forma approbationis et ratificationis redditionis compoti.*

Nos Alfonsus etc., etc. Notum fieri volumus universis quod vos dilectus consiliarius et thesaurarius noster .t. exhibuistis in presencia nostra quoddam albaranum magistri rationalis curie nostre tenoris qui sequitur, jo, etc. Cumque vos memoratus .t. nobis supplicandum duxeritis, ut redditionem compoti supradicti acceptare et ratam habere de benignitate regia dignaremur, ideo nos, de legalitate et fide vestra confisi, redditionem dicti compoti pro parte vestra, ut premititur, dicto nostro magistro rationali redditi, et omnia singula in libris ipsius compoti et in albarano supra inserto contenta, ex certa scientia laudamus, approbamus et rata atque firma habemus, volentes et concedentes vobis et vestris perpetuo, quod, de cetero, vos vel vestri, a nobis vel nostris, ratione amistrationis predictorum temporis in dicto albarano contenti, non possitis demandari vel in aliquo inquietari; certum est autem, quod vos restituistis in cancellaria nostra albaranum predictum magistri rationalis curie nostre, tenor cujus superius est insertus, fuitque inibi pro cautela curie laceratum.—Mandamus itaque, per presentem cartam nostram, universis et singulis officialibus et subditis nostris pre-

³ Hay una llamada en el texto que dice: "Videtur quod ante clausulam Mandamus igitur, vel post eam, posset et debet addi vel poni clausula infrascripta: Mandantes, cum hac eadem, magistro rationali prefato quod omnia et singula notamenta facta vobis in libris sui officii de quibusvis administrationibus per vos, nostro nomine, gestis, usque in presentem diem, cancellet? (el final de esta palabra no aparece claro por hallarse deteriorado el papel) vel faciat protinus cancellari, adeo quod, ratione vel occasione eorum, nulla possit vobis, vel vestris ac bonis vestris et eorum, fieri questio, petitio vel demanda, etc."

sentibus et futuris, quod presentem approbationem et ratificationem nostram firmam habeant et observent et non contraveniant aut aliquem contravenire permittant aliqua ratione.—In cuius rei testimonium etc. Datum etc.

Signum Alfonsi etc.

Testes sunt etc.

V.—*Forma approbationis albarani debitorii thesaurarii.*

Nos Alfonsus etc. Quia pro parte vestri dilecti consilarii et thesaurarii nostri .t. exhibitum fuit, nunc, in presencia nostra quoddam albaranum .t., magistri rationalis curie nostre, tenoris qui sequitur, jo etc, ideo cum presenti littera recognoscentes debere vobis, dicto .t., quantitates pecunie supradictas, volumus et concedimus vobis quod, de pecunia, que provenit seu proveniet ad manus vestras, nostre curie pertinenti, retinantis (*sic*) et satisfaciatis vobis integre in quantitatibus pecunie supradictis.—Nos enim, per presentes, mandamus magistro rationali curie nostre prefato, aut cuicumque alii a vobis compotum recepturo, quod, servata ordinatione facta super injuriis et debitis illustrissimi domini Regis Jacobi bone memorie patris mei persolvendis vobis, sibi restituente presentem cum apocha de soluto, quantitates predictas in compoto vestro recipiat et admitat; vos vero restituistis michi in cancellaria nostra albaranum superius insertum, quod fuit inibi pro cautela curie laceratum.—Datum etc.

VI.—*Forma reparationis littere debitorie amisse.*

Alfonsus etc, dilecto consiliario et thesaurario nostro .t. salutem etc. Cum, per curiam serenissimi domini Jacobi recolende memorie Regis Araganum patris nostri, deberetur nobili et dilecto nostro .t. quantitas pecunie infrascripta, cum littera ipsius domini Regis ejus thesaurario directa, quam dictus nobilis asseruit casualiter amisisse nec eam posset aliquatenus reperire, propter quod nobis humiliter supplicaverit ut litteram ipsam reparari facere de benignitate regia deberemus, nos vero, ipsius nobilis supplicatione benigne admissa, asertioni ejus fidem plenariam adhibere volentes, prestito per eum in cancellaria nostra juramento quod, dicta littera, quam ulterius carere volumus viribus et effectum, fuit amissa, et quod, si eam reperire poterit vel ad manus suas pervenerit, eam in cancellaria nostra restituet laniamdam, bina solutione cum ea nullatenus repetita, habitaque informatione ab eo, sub juramento predicto, de quantitate pecunie in littera ipsa contenta fuisse sibi tot solidos barchinonenses et non amplius exsolutos, et habita etiam certificationem a magistro rationali curie nostre, quod nulle alie solutiones facte fuerint de debito antedicto, tenorem littere ipsius in registris dicti domini Regis patris nostri perquiri fecimus, quem, repertum, reparari jussimus, cujus tenor dinoscitur esse

talís: Jacobus etc. Quocirca, vobis dicimus et mandamus quatenus de pecunia curie nostre, que est vel erit penes vos, tribuatis vel solvatis dicto nobili vel cui voluerit, ex debito antedicto, et, facta solutione presente, recuperetis litteram cum apocha de soluto.—Datum etc.

VII.—*Acceptatio thesaurarii.*

Nos Alfonsus etc. Quia vos fidelis thesaurarius noster .t., ad mandatum nostrum vobis factum, tradidistis et solvistis, de pecunia curie nostre, infrascriptis personis res et quantitatem pecunie infrascriptas pro causis inferius expressatis, infra .t. mensem proxime preteritum, videlicet .t. etc, idcirco, solutiones et tradiciones prescriptas gratas habentes ac etiam acceptantes, easdem, per magistrum rationalem curie nostre seu alicumquemcumque a nobis pro parte nostra computum recepturum, in nostro compoto mandamus recipi et admitti, vobis tamen exhibente eisdem albarana sive apochas quibus constet de solutionibus et traditionibus supradictis. Item, quia infra predictum mensem, ad mandatum nostrum oretenus nobis factum, solvistis subscriptis personis quantitates pecunie infrascriptas de pecunia curie nostre, rationibus sive causis inferius expressatis, videlicet .t. etc, ideo, solutiones ipsas similiter gratas habentes ac etiam acceptantes, easdem, in dicto nostro compoto, simili modo recipi volumus et jubemus, non obstante quod apochas sive albarana non ostendistis, seu exhibueritis de eisdem. Datum etc.

VIII.—*Quando dominus Rex extollit aliquem militem ad titulum nobilitatis.*

Noverint universi quod nos Alfonsus etc. Attendentes quod, licet vos dilectus consiliarius noster .t. a nobilibus magnatibus originem traxeritis, vos tamen impediabat defectus natalium in subscriptis, quia vestra laudabilia merita poscant, ut vos grossis favoribus prosequamur propter labores continuos, quos ad honorem nostrum vos dictus .t. hactenus subiistis et grata et accepta servicia per vos nobis exhibita, et que incessanter ad presens fideliter exhibetis, et quia exhibere etiam vos credimus in futurum, ideo, volentes statum et condicionem vestri, dicti .t. et successorum vestrorum, imperpetuum extollere, .t. vos tanquam benemeritum et ipsos nobilitatis titulo insignire per nos et successores nostros, vos dictum .t. et heredes quoslibet et successores vestros, de gradu in gradum ex recta linea descendentes, speciali gratia prosequentes, cum presenti privilegio nostro, perpetuo, ex certa scientia, de nostre potestatis plenitudine, ad titulum seu gradum nobilitatis gratantes extollimus et favorabiliter decoramus, volentes et concedentes quod, non obstante defectu predicto quem tollendum duximus cum alia carta nostra, vos et successores vestri predicti, tam in ferendo vexillo, quam milites faciendo, quam etiam omnibus aliis et singulis ad nobilitatis

titulum competentibus et competere debentibus utamini et uti possitis, prout generaliter utuntur et uti debent ac consueverunt alii Richi homines et nobiles terre nostre, et quod etiam usaticis, usibus, foris et consuetudinibus aliisque libertatibus et immunitatibus, quibus utuntur et uti debent generaliter dicti nobiles terre nostre, cum omnibus villis et locis, vasallis, hominibus et aliis bonis vestris, mobilibus et immobilibus, habituris et habendis, admitamini, et uti possitis licite et sine alicujus obstaculo atque perpetuo gaudeatis; per hoc tamen non intendimus nobis vel nostris in jure quod habemus in villis aut locis, que a nobis tenetis, in aliquo derogari, immo jus nostrum, ut in instrumentis inde confectis plenius continetur, nobis et nostris conservamus integre, et volumus et intendimus in omnibus et per omnia esse salvum; nos enim, per presens privilegium nostrum, mandamus universis et singulis procuratoribus, senescallis, gubernatoribus, capitaneis, suprajunctariis, vicariis, bajulis, calmedinis, merinis, justiciis aliisque officialibus et subditis nostris regnorum et terrarum nostrarum, presentibus et futuris, quod hanc gratiam et concessionem nostram firmam habeant et observent et faciant inviolabiliter observari, et non contraveniant, aut aliquem contravenire permittant aliquo jure, causa, vel etiam ratione. Et, ad majorem securitatem omnium predictorum, presens privilegium nostrum vobis dicto nobili fieri et tradi mandamus nostra bulla plumbea comunitum. Datum etc.

Signum Alfonsi etc.

Testes sunt etc.

IX.—*Requisitio antequam concedatur marcha.*

Excellenti ac magnifico principi .t., Dei gratia regi .t., Alfonsus per eandem Rex etc, salutem et proceros advota succesus. Oblata nobis, pro parte .t., mercatoris .t. loci, fidelis nostri, suplex petitio continebat quod, cum .t. filius prefati .t., existens pro eodem in villa de Brugis, que est in comitatu de Flandres, fecisset onerari in portu del Escusa, qui est in comitatu ipso, in duabus galeis talium civium Barchinone quantitatem diversorum pannorum, argenti et cupri et aliarum rerum et mercium suarum, in quibus galeis posuit pro institore et procuratore dictarum, dictum .t. quondam famulum vocatum .t., et recessisset a dicto portu, velis extensis, animo veniendi sive transvehendi versus partes Majorice, obviarunt in mare, in partibus illis, decem navibus vel pluribus armatis gentium vestrarum, que gentes, manu armata, inceperunt debellare dictas galeas, dicendo et clamando, "reddite vos, aliter mortui estis", et sic debellando ceperunt eos, more piratico depredando duxerunt eas secum oneratas mercibus, in quibus quidem galeis erant res et merces dicti .t. et comandariorum suorum, que sequuntur, primo, videlicet, etc. Quam ob rem, dictus .t., ad nostre Magestatis presentiam recurrrens, supplicavit nobis humiliter ut, de predictis invasione et

rapina ei per dictos vestros subditos illatas, nec non de dampnis interesse et sumptibus etiam que passus fuit, faceremus sibi satisfaccionem fieri et emendam. Nos igitur, volentes habere de predictis certitudinem pleniorum, in curia nostra, tam ipsorum violencie invasionis et rapine informacionem plenariam, quam averationem et existimationem pannorum, mercium et aliarum rerum predictarum ei, ut predicatur, ablatarum, nec non dampnorum, interesse et sumptuum usque nunc, hac de causa, factorum atque passorum, juxta consuetudinem atque stilum nostre curie in similibus observatum, recipi, recognosci et examinari mandavimus et discuti; sane, cum .t. predictus, tam per testes quam alia legitima documenta, de violencia, invasione et rapina predictis, in curia nostra fidem fecerit pleniorum, et, previa taxatione judiciaria illorumque juramento recepto, fuerit in ipsa taxatum atque decretum, pro predictis mercibus et rebus dicto .t. seu factori ablatas, sibi debere restitui tot libras, tot solidos Barchin. cum interesse tamen, ad rationem duorum solidorum pro libra in anno, pro duobus annis cum dimidio, et etiam cum XXX libras dicti famuli sui, nec non eidem, pro expensis quas fecit circa prosecutionem premissorum usque in diem presentem, tot libras, tot solidos ejusdem monete, idcirco, excellenciam vestram attente requirimus et rogamus quatenus, incontinenti, per dictos raptores et invasores vel alios, dicto nostro subdito dampna passo, vel cui voluerit, faciatis restitui predictas res ei seu ejus factori ablatas, vel quantitates predictas taxatas et decretas cum interesse et sumptibus supradictis, alioquin, cum dicto subdito nostro in justitia deficere non possemus, concedendo eidem licenciam pignorandi et aliter, tam justa quam debita curarem adhibere remedia, per que predictorum ipsi ablatorum et omnium aliorum integram satisfaccionem possent consequi et habere.—Datum etc.

X.—*Concessio marche.*

Alfonsus etc, dilectis et fidelibus suis vicariis, bajulis, justitiis ceterisque officialibus et subditis nostris, presentibus et futuris, ad quos presentes pervenerint, salutem et etc. Ad noticiam vestram deferimus, per presentes, quod, anno proxime preterito, intellecto qualiter .t. januenses, cum quadam cocha que armata fuerat in civitate Sahone, piraticam exercentes raptorum morem ac hostiliter invaserunt ac violenter ceperunt, in mari Sardinie, quandam cocham .t. civis Barchinonensis, oneratam mercibus et rebus quorundam subditorum nostrorum civium Barchinone, nos, recepta in cancellaria nostra averatione, tam de rauraria predicta, quam de valore mercium et rerum ablatarum et dampnorum irrogatorum, misimus ad gubernatores et comune dicte civitatis Sahone .t., pro requirendo, ex parte nostra, ut sibi, loco nostri, fieret restitutio de predictis, que, juxta dictam averationem, deducto eo quod restitutum fuit mercatoribus disraubatis, ascendebant ad summam tot

mille libras, ad quam quantitatem fuit deducta extimatio mercatorum cum ad majorem quantitatem per eos predictam cum juramento extimarentur. Et licet dictus ambaxiator noster restitutionem predictam dictis mercatoribus, iterata precum et requisitionum instancia, per dictos gubernatores et comune Sahone fieri postulasset, ipsamque restitutionem diutius expectasset, protestando de jure, faticha in eis inventa ac hostendendo eisdem raptores ipsos, qui in ipsa civitate presentes erant, attamen, de predictis, restitutionem aut satisfaccionem aliquam nobis facere non curarunt, pretendendo aliquas coloratas et inanes rationes, ob quas asseruebant rauberiam predictam juste fieri potuisse, ac subjungentes se pro eisdem ad nos incontinenti suos nuncios destinare, sicque, dictus ambaxiator noster jure, faticha in eis inventa, ad nos rediit, nobis referens supradicta, de quibus etiam nobis constat, sub forma predicta processisse, per scripturas publicas. Et, ne videremur in predictis repente procedere, quamquam non oportuisset nos dictorum nunciorum expectasse adventum, nihilominus tamen per V mensium spatium represalias mandare distulimus. Cum autem comune predictum nobis suos nuncios destinare omisserit, ea propter, juri nostro providere volentes, tenore presentium in defectu justitie, et jure, faticha in predicto comune inventa, comitendum et mandandum providimus per presentes talibus mercatoribus, ut, nomine et vice nostra et auctoritate, procedant ad pignorandum et marchandum bona quorumcumque januensium usque ad quantitatem, videlicet, dictarum tot librarum, et usque ad sumam etiam tot librarum ad quam ascendunt missiones, dampna et interesse, que dictos mercatores facere oportuit et sustinere, occasione premissa, a tempore recepte averationis predictae citra usque ad diem date presentium, et usque ad quantitatem etiam ad quas ascendant alie expense et interesse, que nos facere et sustinere oportuerit, hac de causa, pro futuro tempore, donec in predictis nobis integriter fuerit satisfactum, jam dictis mercatoribus pro premissis pignorandi et marchandi licentiam harum serie concedendo, ita videlicet, quod dicti mercatores per se, vel alios nomine ipsorum, possint, absque metu nostri et officialium nostrorum, ubique in mari et terra merces, res et bona quorumcumque januensium capere, occupare, emperare, pignorare atque marchare, usque ad valorem seu extimationem predictarum quantitatum, que in universum ascendunt ad summam tot librarum, et dictorum sumptuum, dampnorum et interesse imposterum faciendorum et sustinendorum. Que quidem bona, res, aut merces, sic captas sicque marchatas dicti mercatores, in continenti, ponere teneantur in posse et manu nostrum seu alicujus ex vobis, vosque ipsa bona, res et merces vendatis publice plus offerenti seu offerentibus, et de earum pretio satisfaciatis eisdem usque ad quantitates predictas; volumus tamen quod dicti mercatores, antequam hujusmodi utantur licencia, teneantur primitus assecurare idonee, juxta formam assuetam in armationibus que

fiunt contra inimicos, in posse .t. bajuli .t. loci, quod non pignorent, vel damnum aut malum inferant aliquibus de pace vel treuga nostra, contra quos dicta licencia non sit eis concessa. Et nilominus solutiones, quas inde feceritis, conscribi manu publica faciatis intus cartam presentem de recipiendo in qualibet solutione apocham in qua per notarium, qui eam fecerit, de scriptura solutionis ipsius facta per eum fiat mentio specialis, ut, ex hoc illis, contra quos dicta licentia est concessa, debite caveatur, et solutiones faciende dictam quantitatem nobis debitam et debendam non excedant. Quare vobis et singulis vestrum dicimus et mandamus, quatenus hanc nostram concessionis licentiam teneatis et observetis et faciatis inviolabiliter observari; presentes vero quo ad dictam licenciam durare volumus hinc usque ad tot annos venturos proxime et non ultra, nisi dictum tempus extunc per nos fuerit prorrogatum; ab hac tamen concessionis nostre licencia excludimus illos, qui sub nostri speciali ducatu existunt quique cartam guidatici ad hoc repugnantis hostenderint se habere. Datum, etc.

XI.—*Tutoria.*

Alfonsus etc., dilecto suo vicario Barchinone et Valencie salutem, etc. Ex parte amicorum et consanguineorum .t. pupilli, filii legitimi et heredis universalis .t. quoque, fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum dictus .t. sit in pupillarietate constitutus et non habeat qui eum et bona sua procuret, gubernet seu etiam aministret, et dicti amici et consanguinei sui affectent .t., avunculum pupilli jam dicti, sibi tutorem assignari, deberemus ipsum tanquam proximiorum et utiliorum pupillo ipsi et bonis suis, de benignitate regia, constituere ac etiam assignare. Nos vero, supplicationi ipsi ut ratione consone faventes benigne, prefatum .t. in tutorem dicto pupillo et ejus bonis, tenore presentium, providimus assignandum, ita tamen quod dictus .t. teneatur jurare in posse vestro utilia ipsius pupilli procurare et inutilia evitare, et inventarium seu inventaria, si necesse fuerit, publice facere, et opportuno tempore bonum et legale comptum reddere, et reliqua restituere, et etiam prestare satisfacionem in posse vestro cum idoneis fideiussoribus laycis tamen, juxta facultates pupilli jam dicti, rem pupilli salvam fore ipsosque adultum et pupillos non relinquere indefensos; teneantur etiam alia promittere, facere et complere, ad que tutor vel curator, de jure et ratione, reperitur astrictus. Mandantes vobis quatenus predicta jura-menta et fideiussores diligenter, juxta formam predictam, recipiatis, cum nos dictum .t. et non alium dicto pupillo assignaverimus in tutorem, sic super predictis sollicite vos habendo, quod persona pupilli predicti et bona sua fideliter et utiliter gubernentur seu etiam aministrentur, ne a nobis possitis de necligentia reprehendi. Datum etc.

XII.—*Quando moritur tutor et alius assignatur.*

‡ Alfonsus etc., fideli suo vicario Barchinone et Valencie, salutem, etc. Ex parte matris nobilis et domini .t. loci ac hominum suorum loci ipsius, fuit nobis humiliter supplicatum quod cum .t., miles quoque, qui una cum tali milite tutelam persone et bonorum dicti nobilis .t. in pupillarietate constituti gerebat, sit viam universe carnis ingressus, et propterea conveniat ut eidem pupillo provideatur de tutore alio, cum sit periculum ipsum nobilem, inspectis ejus facultatibus, cum uno solo tutore existere, et non sit persona aliqua eque idonea sicut .t. miles, eundem .t. in curatorem et tutorem eidem pupillo et ejus bonis debere-mus de benignitate regia assignare. Nos vero, supplicatione ipsa admis-sa, dictum .t. in tutorem etc., ut supra proxime, etc.

XIII.—*Quando dominus Rex recipit aliquem in consiliarium.*

Nos Alfonsus etc. Contemplantes probitatis et circumspecte maturi-tatis laudabilia merita, quibus vos .t. estis multipliciter insignitus, nec non et sinceram fidelitatem et devotionem, quas ad nos et regiam do-mum nostram ferventer geritis et gessistis hactenus, ut magistra rerum experientia sepius in apertum produxit, ea propter, de integritate vestra plenam fiduciam obtinentes, harum serie recipimus et admittimus vos in consiliarium et familiarem nostrum, volentes ut hiis gratiis et fa-voribus ubilibet gaudeatis, quibus aliis nostri gaudent consiliariis et fa-miliares. Mandamus igitur universis et singulis officialibus nostris, in regnis et terris nostris constitutis et constituendis, et amicos et de-votos nostros rogamus quatenus vos tamquam consiliarium et fami-liarem nostrum favorabiliter prosequi studeant et a quorumvis gravami-num illacionibus quietum preservent, sicut nobis cupiunt complacere. In cujus rei testimonium fieri etc. Datum etc.

XIV.—*Super construhendo furno.*

Nos Alfonsus etc. Ad servicia nobis per vos fidelem nostrum talem exhibita, prompto corde nostrum dirigentes intuitum, tenore presentis carte nostre concedimus et licenciam damus vobis et vestris, perpetuo, quod sine jure prejudicio alieni, possitis construhere seu construhi fa-cere unum furnum ad panes et alia decoquenda, in civitate .t., vel su-burbiis .t. loci, in loco ubi magis volueritis in alodio vestro, ita quod vos et vestri dictum furnum, cum ipsum construxeritis seu construhi fece-ritis, habeatis, teneatis et possideatis pro vestro ffranco et libero alo-

4 Marginalmente, y a la altura de las primeras líneas, hay escrita, en le-tra distinta posterior, la siguiente observación: "Hodie ponitur, cujus est talis locus, demptis quibusdam baronibus, quos vocat dominus .t., seu intitulat do-minos suarum hereditatum."

dio, et fructus ac emolumentum inde provenencia vestri utilitatibus applicetis; hanc autem concessionem vobis facimus, pure, libere et absolute, absque aliquo onere et retencione, sicut melius dici et intelligi potest ad vestrum vestrorumque salvamentum et bonum etiam intellectum pro faciendo, de dicto forno, dando, vendendo et alienando et aliter, vestram in omnibus libere voluntatem. Mandamus bajulo Cathalonie generali ac bajulo civitatis predictae ceterisque officialibus nostris, presentibus et futuris, quod hanc gratiam et concessionem nostram firmam habeant et observent, et faciant inviolabiliter observari, et non contraveniant aut aliquem contravenire permittant, aliqua ratione. In cujus rei testimonium, presentem fieri et nostro sigillo magestatis iussumus comuniri Datum etc. ⁵

Signum Alfonsi etc.

Testes, etc.

XV.—*Quando conceditur alicui pistrici quod possit facere panes minoris ponderis.*

Nos Alfonsus etc. Intellecto te .t., pistricem .t. loci, facere panem ceteris pulcriorem, et quia ex meliori et cariori frumento et puriori ejus adipe, omni mixtura rejecta, ex propria industria longe melius quam alie flaqueie illum pinsis, nequis panem ipsum absque intollerabili perdicione ad pondus facere aliarum, idcirco, ut, amissionis vitato dispendio, illis qui a te sponte panes voluerint emere, possis impune facere et vendere panem minorem una uncia, in quolibet denario panis, et sic pro rata in ascendenti et descendenti pondere et valore, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Mandamus bajulo et ponderatori, seu almutazafio dicte ville, quod hujusmodi concessionem nostram tibi observent et contra ejus sediem te nullatenus inquietent; hanc itaque gratiam et concessionem nostram durare volumus, cum nobis placuerit et nostre processerit beneplacito voluntatis. Datum etc. ⁶

⁵ Correspondiendo a las líneas comprendidas entre las palabras *hanc autem concessionem vobis* etc, etc, y *Mandamus bajulo Cathalonie* etc, hay la siguiente nota marginal: "Hodie ponitur et bene clausula infrascripta: dictam autem concessionem vobis facimus absque juris (podría leerse también *jure*) prejudicio alieni."

Estas anotaciones marginales, como otras que se irán viendo en el formulario, así como algunas enmiendas, palabras entre líneas, títulos de fórmulas que primitivamente no existían o estaban incompletos, etc, etc, aparecen escritos, por lo general, en letra diferente de la del texto. Es más cursiva y muy similar a la de los últimos folios del código, de los cuales presento un facsímil (núm. 4). Sin duda, alguna o algunas personas, al utilizar el formulario, fueron haciendo esas aclaraciones, corrigiendo también las pequeñas erratas y subsanando las escasas deficiencias que hallaban.

⁶ Hay una nota que empieza a la altura de la línea "in qualibet denario panis" y dice: "Nunc dominus Rex omnes similes concessionem facit, adjecta

XVI.—*Auctoritas notarie.*

Nos Alfonsus etc. Attendentes te .t., vicinum .t. loci, esse idoneum et sufficientem ad tabellionarium officium exercendum, prestito per te in cancellaria nostra juramento, quod bene et legaliter te habebis in exercendo officio prelibato, constituimus et creamus te, dictum .t., in notarium publicum per totam terram et dominationem nostram, ita quod, in universis et singulis locis terre, dicioni ac jurediccioni nostre subjectis, possis recipere et conficere testamenta, acta, attestations, sentencias et quelibet alia instrumenta quorumcumque contractuum fuerint, et quaslibet alias scripturas autenticas et publicas, et ea scribere ac scribi facere per substitutum aut substitutos a te juratos tamen, de quibus siquidem protocolla sive capibrevia facias notularum, ut eterne memorie comendentur; nos enim, ipsis testamentis, actis, attestationibus, sentiis, instrumentis et aliis scripturis publicis et autenticis, per te bene et legaliter recipiendis et scribendis ac scribi faciendis per juratos substitutos a te, auctoritatem impendimus et decretum, ita quod eisdem in iudicio et extra iudicium fides plenaria habeatur et omnimodam roboris obtineant firmitatem, tanquam propria manu facte, dumtamen subscriptionem tuam et signum apposueris in eisdem, qua, te auctoritate nostra notarium et ipsis contractibus interfuisse, confitearis. Mandamus procuratori ejusque vices gerentibus, vicariis, bajulis, suprajunctariis, calmedinis, merinis, justitiis et universis aliis officialibus et subditis nostris, presentibus et futuris, quod te pro notario publico habeant et teneant per totam terram et dominationem nostram, et instrumentis ac scripturis tuis publicis adhibeant plenam fidem. Addicimus tamen, quod testamenta, acta et attestations testium et alias scripturas publicas quos quas et que receperitis, confeceris et scripseris ac scribi feceris, infra comitatus Rossilionis et Ceritanie et terras confluentis et Vallispirii, tuis sumptibus facere, et de medietate preciorum debitorum inde, secundum ordinationes regias, procuratoribus nostris Rossilionis, aut quibus voluerimus, debeas respondere. In cujus rei testimonium etc. Datum etc. ⁷

In auctoritate que conceditur notario Barchinone, ponitur quod sequi-

clausula infrascripta: sub hac tamen conditione, premissam concessionem tibi facimus, quod habeas et tenearis dare nobis, aut illustri Regine consorti nostre, aut primogenito nostro, duodecim denariatas panis die qualibet qua nos, aut dicti Regina vel primogenitus fuerimus in dicta civitate, vel loco, personaliter constituti, ita quod, si nos ibi fuerimus, tum nobis dicti panis quantitates tradere inde tenearis, si vero, in absentia nostra, ipsi Regina et primogenitus, tum ipsi Regina et numquam dicto primogenito, nisi in absentia nostri et Regine prefate."

⁷ Nota marginal correspondiente a estas últimas líneas: "Non quod si concedatur notaria tantum Regno Aragonum, aut Valencie, vel Majorice, aut sardinie, non oportet poni clausula que incipit, addicimus tamen etc."

tur: Itaque in universis et singulis locis terre, dicioni ac jurediccioni nostre subjectis, possis recipere, conficere et etiam recipi facere et confici in civitate Barchinone et vicariis ejusdem, prout per alios notarios civitatis Barchinone est fieri assuetum, testamenta, acta, etc.

XVII.—*Auctoritas concessa scriptoribus judicum.*

Nos Alfonsus etc. Intellecto per dilectum judicem curie nostre se indigere scriptore, qui scripturas publicas in causis, que coram eo vertantur, conficiat, id circo, tibi .t. vicino .t. loci, quem dictus .t. sibi in scriptorem preelegit, plenam per presentes concedimus potestatem conficiendi et scribendi acta, attestaciones, albarana, apochas, compromissa et instrumenta requisitionum, que necessaria fuerint ad expedicionem ordinis judiciarii, que coram ipso judice, arbitrario seu arbitratore, delegato vel subdelegato, solo existente, seu alio aut aliis judicibus, delegatis vel subdelegatis, vel arbitris seu arbitratoribus, sibi adjunctis, fieri oportebit, et albarana, apochas, compromissa et instrumenta requisicionum et alia, que necessaria fuerint ad expedicionem ordinis judiciarii, ut premititur, judex delegatus vel subdelegatus fuerit, sibe arbiter. Mandantes, per presentem cartam nostram, universis et singulis officialibus et subditis nostris, presentibus et futuris, quod actis, attestacionibus, sententiis, apochis, compromissis et aliis etiam scripturis, sub forma premissa per te conficiendis adhibeant plenam fidem tamquam publica manu factis. Datum etc.

XVIII.—*Super elongamento debitorum.*

Alfonsus etc., dilectis et fidelibus universis et singulis officialibus nostris, vel eorum locatenientibus, ad quos presentes pervenerint, salutem etc. Noveritis, nos de speciali gratia elongasse, penis rosuris? ⁷ cesantibus quibuscumque, .t. habitatorem .t. loci et debitores ac fideiussores cum et pro eo obligatos et bona eorum, a solucione debitorum, que debet cristianis et judeis non privilegiatis ⁸ (*nisi judci ipsi privilegium nostrum hujus temporis ostenderint de non elongandis debitis eorundem, et judeis non privilegiatis, vel in locis regiis non comorantibus et non contribuentibus cum aljamis regiis pro omnibus bonis suis*) ⁹, usque

⁷ Palabra dudosa. En la fórmula CI la frase aparece así: "usuris et penis cesantibus quibuscumque." Quizá *rosuris* sea una errata, por *et usuris*.

⁸ La frase *non privilegiatis* está añadida entre líneas, con letra distinta, como ocurre en la mayor parte de las notas o acotaciones, según se ha observado ya.

⁹ Las palabras entre paréntesis aparecen en el texto separadas de las demás por una especie de llave, y cruzadas por una raya que va desde *nisi judci ipsi* hasta *suis*, como indicando deben ser tachadas. El autor de estas correcciones quiso expresar que todas esas palabras, afectadas por dicha línea, debían ser substituídas, en su tiempo, por estas otras dos, añadidas, según se ha visto: *non pri-*

ad quantitatem tot solidos .t. monete, ad duos annos a data presentium in antea continue numerandos, dum tamen jam aliter ab ipsis debitis non fuerit elongatus, assecurato primitus idonee, in posse vestro, nisi jam assecuratum sit, quod, in fine utriusque dictorum duorum annorum, medietatem dictorum debitorum suis creditoribus exolvere teneatur¹⁰; per hanc tamen gratiam non intendimus elongare debita, que debeantur pro dotibus seu sponsaliciis mulierum, nec pro vendicione bonorum immobilium seu reddituum, nec pro pignoribus suis traditis creditoribus et ab ipsis possessis, nec legata testamentorum, seu comandas. Quare vobis et unicuique vestrum dicimus et mandamus quatenus elongamentum nostrum hujusmodi¹¹ teneatis et observetis, per dictum tempus, ut superius continetur; predictus vero .t. teneatur exprimere, coram vobis, que debita vult, seu intendit, sub presentis elongamenti nostri gratia comprehendere. Datum etc.

Quando conceditur elongamentum alicui, in regno Valencie, ponitur in littera clausula que sequitur queque dicitur fori novi Valencie: Per hanc tamen gratiam non intendimus elongare debita, que debentur pro dotibus seu sponsaliciis mulierum, nec pro vendicione bonorum immobilium seu reddituum, nec pro pignoribus traditis creditoribus et ab ipsis possessis, nec debita litte previa judicata, neque illa super quibus lis pendeat, nec ea etiam, pro quibus debitores sub pena quarti condempnati existant de qua condempnatione sequutum fuerit retroclanum, nec legata testamentorum seu comandas. Quare etc.

XIX.—*Comissio super salvanda infançonía.*

Alfonsus etc. dilecto suo .t., justitie Aragonum, salutem, etc., Cum .t., vicinus .t. loci, asserat se esse infançonem et nunc fatigari indebite a quibusdam super infançonía sua, ideoque velit eam salvare, nobis humiliter supplicavit, ut salvam infançonie sue recipi facere dignaremur. Nos itaque, supplicacione ipsa benigna admissa, vobis dicimus et mandamus quatenus, vocatis evocandis, salvam infançonie sue, prout tamen inveneritis fieri debere, recipiatis, secundum distinctionem que in generali curia Cesarauguste celebrata extitit ordinata. Mandamus etiam vobis quod, si inveneritis dictum .t. in possessione infançonie, et non fecisse in vita ipsius servitutem regalem nec hostensum fuerit nobis quod ejus pater aut avus fecerint similiter servitutem regalem, pen-

vilegiatis. Y para que no hubiese duda, escribió al margen: "Hodie non ponuntur verba comprehensa a verbo *nisi judei ipsi*, usque ad verba, *bonis suis*, inclusive, sed tantum, loco eorum, ponitur "*non privilegiatis*".

¹⁰ Palabra agregada, posteriormente, continuando la línea del texto.

¹¹ En el texto estaba la palabra *predictum*; pero se tachó, escribiéndose encima *hujusmodi*.

dente tempore ad recipiendum salvam per nos eidem assignato, eundem .t. ad faciendum servitutem regalem non permittatis compelli; volumus tamen, quod testes qui fuerint nominati, tam super possessione probanda, quam super salva infancione predictae jurent in posse vestro, vosque ipsorum dicta, personaliter et diligenter et cum interrogacionibus expedientibus, recipiatis, sicque, subornacioni testium vel minus perite receptioni eorum, locus minime, sicut aliquando compertum extitit, relinquatur. Nullique alii comitatis, cum ad hoc persone vestre industriam duximus eligendam ut inde nos certificare valeatis, prout vobis possibile fuerit, qualis fuerit ipsorum testium condicio quantaque fides, secundum ipsorum testium statum et condicionem, eis debeat adhiberi. Et cum ipsius salvam receperitis, mitatis eandem ad cancellariam nostram cum vestra informacione de predictis, sub vestri sigilli munimine interclusam, presentibus litteris, que ad receptionem testium et salve predictorum, ultra quatuor menses a data presentium continue numerandos, minime valuturis, nisi per nos ipsum tempus fuerit prorrogatum. Datum etc.

XX.—*Super infancionis salvatis.*

¹² Nos Petrus etc. Atendentes, coram nobis, .t. vicinum .t. loci humiliter supplicantem quod salvam sue infancione recipi facere dignaremur nosque mandavisse ¹³ per nostras litteras dilecto nostro .t., justitie Aragonum, ut testes nominatos tam super possessione sue infancione quam super ipsa infancione reciperet, et recipiendo salvam ipsam proderet? ¹⁴, juxta distinctionem que in generali curia Cesarauguste celebrata extitit ordinata, coram quo dictus .t., probata prius possessione sue infancione, ad eam salvandam produxit duos milites juratores, videlicet .t. et .t., qui, tactis cruce et sacrosanctis Evangeliiis, per suum juramentum dixerunt ¹⁵ quod prenomatus .t. est infancio hermunjus, qui debet recipere et non dare pro aliqua villania, et hostenderet casale, si necesse esset, unde sua ingenuitas processit, quod nominaverunt esse in .t. loco, prout hec et alia in salva predicta, quam diligenter exami-

¹² Esta fórmula ofrece bastantes enmiendas que, en algún caso, dan lugar a cierta oscuridad en la lectura. Primitivamente empezaba así: "Noverint universi quod coram nobis Alfonso dei gratia rege Aragonum etc., comparuit .t., vicinus .t. loci, humiliter supplicantem (ésta es una de las palabras que aparecen un poco oscuras, por las correcciones). El autor de las enmiendas tachó toda la primera línea y parte de la segunda, sustituyó el signo de *us* de *vicinus* por una *u* y el signo general de abreviación (= *um*), y finalmente insertó palabras nuevas, sobre la línea tachada, quedando el texto, tal como lo transcribo.

¹³ *Mandavimus*, en el texto primitivo.

¹⁴ Otra palabra de lectura dudosa, a causa de las enmiendas. Parece leerse también *procederet*.

¹⁵ Igualmente enmendada y un poco oscura la palabra *dixerunt*.

nari fecimus in cancellaria nostra, plenius continentur, cum nobis constet per salvam predictam, quam dictus justitia ad curiam nostram remisit sub sui sigilli munimine interclusam, prefatum .t. suam infancioniam probasse legitime coram eo, prout juxta distinctionem predictam extitit ordinatum, ideo, ipsum .t. infancionem hermuniū declaramus et infancioniam predictam auctorizamus, et per presentem cartam nostram mandamus universis officialibus et subditis nostris quod predictum .t. pro infancione hermuniū de cetero habeant et teneant, et ipsum excusent ab omnibus serviciis et exactionibus, quibus infanciones hermuniū excusantur. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

XXI.—*Quando dominus Rex constituit aliquem procuratorem pro aliquo monasterio.*

Nos Alfonsus etc. Attendentes quod, ubi aliquid generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur intelligitur denegatum, et fratribus ordinis minorum generaliter prohibeatur, considerata sui status immunitate, ne pro ulla re temporalis possint nec debant in iudicio experiri, set in laboribus spiritualibus, oratoriis et studiis sedule occupari, id circo nos, cupientes ipsis circa bona temporalia providere, cum presenti carta nostra, ex nostre plenitudine potestatis, facimus et constituimus vos, .t. civem .t. civitatis, procuratorem certum¹⁶ et specialem ad petendum, exigendum et recipiendum omnia et singula debita et legata fratribus minoribus conventus dicte civitatis, debita seu pertinentia qualicumque ratione seu causa, dantes et concedentes vobis plenam et liberam potestatem quod, per vos ac procuratorem seu procuratores a vobis substitutos, vice et nomine nostri, possitis dicta debita et legata ipsis fratribus quoquomodo pertinentia petere, exigere et recipere et de ipsis apochas et difiniciones facere eaque convertere in utilitatem et comodum domus conventus predicti, nec non quascumque personas, que ipsis fratribus minoribus modo aliquo teneantur, et bona earum convenire et agere, respondere, defendere, excipere et replicare, et jus super quibuscumque bonis firmare, sacramentum calumpnie et veritatis dicende et cujuslibet alterius generis juramentum prestare, testes, instrumenta et alia probationum genera producere, et sententiam vel sentencias tam interlocutorias quam diffinitivas audire, et ab ipsis, si vobis visum fuerit, appellare, et appellatos petere, et appellationem vel appellationes prosecui, protestari et requirere, et omnia alia facere, in predictis et circa predicta, quecumque ipsi fratres, si facultatem habuissent, facere possent, si personaliter interessent, quoniam vobis et dicto substituto aut substitutis vestris, in predictis et circa predicta, generalem et liberam aministracionem comitimus per presentes.

¹⁶ Hay una pequeña mancha de tinta sobre la supuesta *u* de *certum*, que impide leerla con absoluta claridad.

Et volentes vos et dictos substitutos vestros relevare ab omni onere satisfaciendi, ac fide jubentes in hiis pro vobis, promittimus vobis quod per vos et dictos substitutos actum et gestum fuerit, in premissis et circa premissa, id teneri et observari ab omnibus faciemus.

In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

XXII.—*Quando dominus Rex concedit alicui boalare sive deffesiam.*

Nos Alfonsus etc. Ad supplicationem vestri .t. cui¹⁷, vestris exigentibus meritis, annuimus in hac parte, concedimus de gratia vobis dicto .t. et vestris heredibus ac successoribus, et statuimus tenore presentis carte perpetuo valiture quod totum hereditamentum vestrum situm in vega .t. loci, in parte cultum et in parte non cultum, sit vetatum, sive defesia aut bohalare vestri et vestrorum heredum et successorum perpetuo, ita quod deinceps nullus sit ausus, in dicto vetato, defesia, sive boalari, ganata sua pro pascendo immittere, nec venari cirogrillos, nec piscari pices in .t. rivo, scilicet quantum dictum hereditamentum pretenditur, nec aliqua alia ibi facere, a quibus vetata, defesie sive boalaria terminorum .t. loci eximuntur. Per hujusmodi autem concessionis sive statuti observacionem imponimus et infligimus penam illis, qui contrafacient, tot solidos .t. monete, quos, ab infrigentibus hanc concessionis vel statuti gratiam, exigere volumus et levare, nec non amittant illud ingenium cum quo venabuntur, sive piscabuntur, de quibus tot solidis et ingenio medietas sit vestri dicti .t., et alia medietas sit justitie .t. loci. Mandantes, cum presenti, universis et singulis officialibus nostris presentibus et qui pro tempore fuerint, nec non hominibus ville .t. quod totum ipsum hereditamentum teneant et habeant pro vetato, defesia vel boalare vestri et vestrorum, et contra hanc concessionem nostram nequaquam veniant aliqua ratione. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

XXIII.—*Legitimatío.*

Nos Alfonsus etc. Dignum esse decrevimus et consonum rationi, ut hii, quos interdum in legitimis actibus natalium defectus impedit, legitimationis honore per principem reparentur, et, si quandoque super hiis regalis favor fidelium suorum supplicatione requiritur, liberaliter largiatur; hinc est quod, cum .t. filius .t. vicini .t. loci, ex predicto .t. conjugato et ex .t. soluta, ex dampnato cohitu sit genitus et creatus, et ideo egeat munificencie regie beneficio decorari, et propterea fuerit nobis per dictum .t., ejus patrem, humiliter supplicatum ut prefatum .t., ejus

¹⁷ En esta fórmula, como en algunas otras (por ejemplo en las dos siguientes) se observan pequeñas enmiendas en algunas letras o palabras, hechas, sin duda, para que puedan leerse con toda claridad. Una de ellas es la *i* de cui, que incluso aparece puntuada.

filium, cum aliam prolem legitimam non habeat, legitimare et ad omnes actus legitimos restituere, quos ei illicita procreatio abstulerat, de benignitate regia dignaremur, supplicationi ejus favorabiliter inclinati, cum idem .t. prolem legitimam non habeat, predictum .t. ejus filium de nostre plenitudine potestatis ex certa sciencia legitimamus, et ad omnia jura legitima et quoslibet actus legitimos restituimus, et tamquam legitimus et de legitimo thoro natus eundem .t. ad habendum et recipiendum bona, que pater predictus intervivos vel in ultima voluntate ei donare, relinquere vel legare voluerit, si tamen dictus... sine liberis naturalibus et legitimis decesserit, ex eadem plenitudine potestatis abilitamus, et abtum et suscepibilem reddimus et capacem, ac si esset de legitimo matrimonio procreatus, objectione prolis illicitate imposterum quiescente, non obstantibus quibuscumque legibus, juribus, foris, seu consuetudinibus, que videantur predictis in aliquo obviare. Per hanc tamen legitimationis gratiam non intendimus derogare juri alicui competenti vel competituro in bonis dicti .t. ex substitutione vel aliter, immo illud illibatum remaneat totaliter et illesum. Mandantes per presentem cartam nostram gubernatori nostro eiusque vices gerentibus, suprajunctariis, justitiis, bajulis, merinis ceterisque officialibus et subditis nostris, presentibus et futuris, quod prescriptam legitimationem firmam habeant et observent et faciant inviolabiliter observari, et non contraveniant nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione. In cujus rei testimonium presentem fieri etc. Datum etc.

XXIV.—*Franquitas questie concessa uni soli.*

Nos Alfonsus etc. Ad supplicationem humilem religiosorum guardiani et conventus monasterii fratrum minorum .t. loci nobis exhibitam, cum presenti carta nostra infranquimus et franchum facimus, liberum et immunem te .t. sarracenum, barbitonsorem .t. loci, ab omni videlicet questia, peyta, subsidio, pedido et qualibet alia exactione regali, quovis nomine nuncupetur, ita quod, dum de officio barbitonsorie serviveris fratribus conventi predicti et ipsi fratres tuum acceptaverint officium, non teneatis solvere questiam, peytam, subsidium, pedidum ac quamlibet aliam exactionem regalem quovis nomine, ut predicatur, nuncupentur, immo sis inde a predictis, cum omnibus bonis tuis, franchus, liber et immunis, quamdiu, ut predicatur, de officio tuo serviveris fratribus supradictis et ipsi tuum servicium duxerint acceptandum. Mandantes per presentes bajulo nostro generali .t. regni, nec non merino .t. loci, portariis, collectoribus ceterisque officialibus nostris presentibus et futuris quod franchitatem et immunitatem nostram hujusmodi amodo teneant inviolabiliter et observent, et non contraveniant nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

Quasi similis forme, aliquibus verbis mutatis, debet fieri franchitas concessa de hoste et cavalleria ac redemptionibus earundem.

XXV.—*Remissio contumacie viginti dierum.*

Nos Alfonsus etc. Quia pro parte tui .t., vicini .t. loci, fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum dudum inculpatus fueris de quibusdam vulneribus factis et illatis in personam .t., pretextu quorum vulnerum, ad mandatum justitie dicti loci, fuit facta preconizacio publica per dictum locum quod, nisi infra viginti dies compareres coram ipso ad firmandum de directo, ratione premissa, esses ex tunc habitus pro confesso de ipso crimine, tandem, quia non comparuisti infra ipsum terminum, fuisti contumax et habitus pro confesso de crimine antedicto, tuque pre timore affinium seu amicorum dicti .t. infra dictum terminum ausus non fueris comparere, dignaremur tibi dictam contumaciam et terminum dictorum viginti dierum ex benignitate regia relevare, idcirco, supplicatione ipsa admissa benigne, contumaciam ipsam et terminum dictorum viginti dierum, per presentes, tibi dicto tali relaxamus et indulgemus, te tamen ponente te in posse curie dicti loci et faciente de te querelantibus super predictis justitie complementum. Mandantes siquidem jam dicto justitie ut, ratione dicte contumacie, adversus te et bona tua in aliquo non procedat, set de te faciat conquerentibus, ratione premissa, justitie complementum. Datum etc.

XXVI.—*Extractio equorum.*

Alfonsus etc. Fidelibus suis custodibus passuum et rerum prohibitarum in confinibus terre nostre constitutis ceterisque officialibus nostris, ad quos presentes pervenerint, salutem etc. Cum nos concessimus .t., quod, non obstante inhibicione aliqua, possit extrahere de terra nostra seu extrahi facere per quemcumque presentium portitorem unum equum de tali pilo, id circo vobis et utrique vestrum dicimus et mandamus quatenus in extractione dicti equi nullum impedimentum vel ostaculum apponatis, quinimo ipsum extrahi libere permitatis; presentes vero, quas post duos menses a data presentium in antea numerandos valere minime volumus, in extractione dicti equi per alterum vestrum, cui ultimo presentate fuerint, firmiter retineri volumus et jubemus. Datum etc.

XXVII.—*Ordinatio* ¹⁸, seu *pramatica per quam prohibetur clericis accessum ad officia publica et statuuntur pene contra ostendentes falsam coronam.*

.....

 salutem etc. Regnorum ab alto nobis commissorum regimini, divina favente gratia, presidentes, curis sollicitamus continuis tranquillo vigilare statui subditorum, in quorum quiete quiescimus et fovemur in pace, quod non difficile credimus obtinere, si suo gradu quilibet sit contentus et uni creditum commissum alius non usurpet promiscuisque actibus rerum officia non turbentur. Sane, sicut experientia docuit et ad nostram sepius audienciam est deductum, non nulli layci terre nostre laycaliter in omnibus conversantes, quamquam velut conjugati laycorum cetibus adhereant publice et privatim, adeo quod etiam officia publica tabellionatus et alia clericis de jure interdicta assumere non verentur, divinas utique in hoc et humanas regulas offendentes, et cum in ipsis delinquisse reperiuntur, ut nostram jurisdictionem elidant et debitam pro delictis ultionem evadant, degenerantes contra debitam nobis fidelitatem ad pene subterfugium se clericos exhibentes, cum super excessibus ipsis ad publica judicia pertrahuntur, circumsisis crinibus, ut possint circumvenire vindictam, se pro clericis representant, clericale privilegium labiis allegantes qui factis, ¹⁹ paulo ante negaverant clericatum. Cum igitur nostra intersit talem insolenciam et maliciam congruis remediis coherere, cum quilibet manere debeat in ea sorte, qua vocatus est, provido consilio ducimus ordinandum vobisque dicimus et mandamus quatenus, visis presentibus, injugatis univrsis subditis nostris in-

¹⁸ A continuación de la fórmula anterior viene el epígrafe de otra titulada: *Extractio picis*. Dicho epígrafe termina el folio XIIIv., y aparece tachado, tal vez por haber desaparecido el texto a que se refería.

Luego se nota la falta de tres hojas, pasándose del mencionado número XIII al XVII. La pérdida de estos tres folios (única que se observa en todo el formulario), quizá sea debida a alguna encuadernación deficientemente hecha, puesto que los siguientes XVII, XVIII y XIX aparecen mal cortados, hasta el punto de que casi desapareció la foliación, que va en todos en el ángulo derecho superior (del XVII apenas restan unas rayitas, del XVIII ya queda la mitad); están además los tres indicados folios mal sujetos y en riesgo de soltarse por la parte de arriba. Tal vez con los XIV, XV y XVI ocurriese lo mismo y llegasen a desprenderse. Esto parece lo más probable.

En cuanto al folio siguiente conservado, el XVII, me he decidido a transcribirlo desde el principio, por tratarse de una fórmula a la cual, aunque incompleta, es muy poco lo que le falta, puesto que incluye la salutación. El título lo he puesto en vista del texto.

¹⁹ La palabra está también enmendada. La lectura más correcta parece ser *fautis*.

fra districtum vobis comissum residentibus sub pena indignationis nostre ne in civitate, villis seu locis, quibus presunt, aliquem habentem seu portantem coronam in dictis officiis eligant, vel assumant, sicut extitit per aliquos usurpatum. Et, ne in premissis fraus comiti valeat pretextu ignorancie, volumus et mandamus quod illi, qui ad predicta officia electi fuerint, se non habere coronam, fidem coram officialibus nostris, ad quos eorum executio pertineat, cum juramento fatere compellantur.— Et, si contra hanc ordinationem et provisionem nostram et proprium juramentum aliquis se eligi permissit et officium assumpserit, nostram provisionem spernendo, electionem de eo factam ad officium ipsum et quicquid per ipsum in eo officio processum fuerit, viribus et effectu carere volumus et presentibus nunciamus, et nilominus eligentes talem dampna proinde sequuta ipsa passis emendare et refundere in duplo integre teneantur, nulla eorum, quibus sit restitutio facienda, remissione ullatenus profutura eisdem, nisi eos ignorancia probabilis excusaret; verum, quia plerique in terra nostra novum genus falsitatis irrepserunt, dum absque manus impositione vel alterius potestatem habentis, set propria auctoritate, coronam formam clericalem ostendentem sibi usurpare et assumere non verentur, idcirco, cum novis morbis nova conveniat antidora preparari, tales, ut puniantur in eo in quo delinquerint, sic decernimus puniendos, videlicet, ut quantum corona adulterina pretendatur, corium cum rasorio a capite abscindatur. Ceterum, ut hec nostra provisio omnibus innotescat, eam inde singulis locis et villis precipimus voce preconia publicari²⁰; preterea firmiter prohibemus, ne aliquis subditus noster presumat ecclesiasticum judicem adire pro rebus ad nostram jurisdictionem spectantibus, sciturus quod si, spreto fidelitatis nostre debito, contrarium fecerit, ipso jure instituta actione cadet, cujus actionis medietas nostro erario et convento reliqua medietas applicetur, et nilominus puniendus nostro arbitrio subiacet. Hanc igitur nostram ordinationem seu statutum volumus et jubemus per vos inviolabiliter observari et quod eandem faciatis ab omnibus observari et penam a transgressoribus exigi et haberi sub pena nostre gratie et mercedis.—Datum, etc.

XXVIII.—*Sequitur declaratio super predictis facta.*

Alfonsus etc. Dilectis et fidelibus suis vicario et bajulo t. loci ceterisque officialibus nostris, presentibus et qui pro tempore fuerint, salutem etc. Nuper, quamdam ordinationem seu pramaticam sanctionem²¹

²⁰ En el margen hay una llave que abarca las líneas comprendidas entre *idcirco* y *voce preconia publicari*, con una manecilla señalando dichas líneas, como para indicar debe fijarse en ellas el lector de modo especial.

²¹ Hay una aclaración marginal hecha probablemente por el mismo autor del texto, que dice: "Pramatica sanctio idem est quod statutum domini Regis factum cum deliberatione."

provido consilio edidisse recolimus, vobis per speciales nostras litteras intimatam, de clericis ad officia publica nullatenus admittendis seu eligendis, et de corona adulterina radenda et extirpanda a capite cum rasorio, et de non adeundo iudice ecclesiastico per subditos nostros super causis que ad nostram jurisdictionem spectare noscantur, penas congruas in singulis contrafacientibus incidendo; nunc autem, quia comperimus nonnullis, super dicta sanctione, quedam dubia emersisse, eandem clariorem efficere cupientes, sic eam interpretandam duximus, supplendam ac etiam declarandam, ut clericus non conjugatus, qui coronam habeat, licet eam non portet set laycaliter incedat, non admittatur seu eligatur ullatenus ad officium tabellionatus jurisdictionis ordinariæ, seu assessorie, vel regiminis civitatis, vel ville, vel ad aliquod aliud seculare officium, quod publicum auctoritate et utilitate existat, cum talia merito esse debeant clericis interdicta, idemque censemus de clericis conjugatis, qui tonsuram et vestes deferant clericales; de conjugatis autem clericis laycaliter incedentibus sic declarandum duximus, quod ita demum ad dicta officia possint impune eligi, seu assumi, si in primis et ante omnia caverint per sponsores laycos et idoneos et securos in posse nostri officialis presidentis ordinariæ, loco ubi electi fuerint seu assumpti, se ut principales obligantes, sub pena quingentorum aureorum nostro acquirenda erario exigendaque statim absque aliquo juris ordine, cum contra factum fuerit, quod, si aliquo casu ipsos acusari seu conveniri contingat coram iudice seculari, vel aliter quoquomodo impeti civiliter vel criminaliter, quod non allegabunt privilegium clericale, nec ipso se ullatenus tuebuntur, quinimo coram ipso seculari iudice respondebunt et subibunt iudicium de predictis et non coram ecclesiastico ullo modo.—Sane, quia dicta nostra sanctio quo ad verba solum videtur futuris electionibus seu assumptionibus faciendis de clericis providere, ipsam et declarationes presentes, non sine ratione, etiam ad clericos, qui de presenti gerunt aliqua officia de predictis, duximus extendendas, sic videlicet, quod clericus non conjugatus, qui tonsuram habebat, licet non portet eandem conjugatusque qui tonsuram et vestes deferat clericales, a dictis officiis, que reperiantur gerere seu habere in presenti, ipso jure privati existant, nec ipsis ullatenus uti possint, et quid egerint in eisdem, post hujus declarationis publicationem, sit ipso jure irritum et inane. Ab hac autem prohibitione excipimus clericos simplices, licet non conjugatos, sive unquam uxorem habuerint unicam et virginem set sit mortua, qui sine tonsura et laycaliter incedentes aliqua officia de predictis impresenciarum reperiantur habere; istos namque, licet ab officiis noviter assumendis prohibeamus, ut premittitur, hiis tamen qui nunc habeant, privari nolumus ullo modo, dum tamen caveant idonee, ut premittitur, se non usuros clericali privilegio, ut supra in conjugatis clericis est provisum. Excipimus etiam clericos, qui, uxore unica et virgine, quam habuerunt, premortua, incedent laycaliter atque vivent.

Quos officia, que tempore quo uxor vivebat adepti fuerint, nunc vel in futurum volumus impune ac licite retinere, dum tamen caveant, ut supra in aliis est provisum; per predicta autem ordinata et declarata per nos non intendimus derogare in aliquo ecclesiis et ipsarum rectoribus, in notariis, seu scribaniis eis competentibus in locis nostri, quominus ipsarum officium possint regere et exercere per clericos et laycos, prout eisdem permittitur per constitutionem super hoc editam per serenissimum principem dominum Regem Petrum recolende memorie avum nostrum, et prout est fieri assuetum, penis et aliis contentis dicta sanctione nostra, in suo robore duraturis. Quapropter, vobis et unicuique vestrum, sub pena indignationis nostre, dicimus et expresse mandamus quatenus predictam ordinationem per nos factam et declarationes nostras hujusmodi teneatis et firmiter observetis et faciatis a nostris subditis, infra districtum vobis commissum residentibus, ceterum ac firmiter observari, juxta litteram predictae ordinationis et presentis seriei et tenorem, in hiis taliter vos habentes, quod, vobis ad culpam vel negligenciam non possit aliquid imputari, aliter vos de negligentia et inhobediencia fortiter puniremus. Datum, etc.

XXIX.—*Quando dominus Rex concedit alicui tonsurato quod, non obstantibus predictis, possit ad officia publica promoveri.*

Nos Alfonsus etc. Attendentes nos, nuper, quoddam statutum seu sanctionem pramicam edidisse, per quam prohibendum duximus ne aliquis tonsuram deferens ad aliquod publicum officium admitteretur, nisi prius per sponsores laycos sub certa pena assecurasset, prout in litteris nostris de dicta sanctione seu statuto et declarationibus super ea factis latius continetur, et nunc pro parte vestri .t., vicini .t. loci, nobis fuerit cum instantia supplicatum ut de predictis vobis specialem gratiam facere dignaremur, propterea, supplicationi hujusmodi benigne faventes, de probitate vestra et sufficiencia confidentes hujusmodi scripti nostri serie concedimus vobis quod vos ad quecumque publica officia dicte ville et infra villam jam dictam et extra elegi et assumi ipsaque officia impune ac libere exercere possitis, non obstante quod tonsuram detuleris, sanctione seu statuto jam dicto, quo ad vos extendi nolumus, in aliquo non obstante. Datum, etc.

XXX.—*Licencia transffretandi navem ad partes Alexandrie.*

Nos Alfonsus etc. Attendentes quod sanctissimus in Christo pater dominus summus Pontifex, pro reliquiis corporis beate Barbare virginis et martiris de terris infidelium ad regnum et terras nostras honorabiliter transffretandis aliisque certis negociis fidei exaltacionem catholice concernentibus, transmitendi unam navem vel cocham ad terras, quas soldanus babilonie in ultramarinis partibus detinet, absque excommunicationis pena, cum certis nostris nunciis et ambaxiatoribus quos

destinare providimus hac de causa, liberam de fratrum suorum consilio fuit licenciam elargitus, et expediat dictam navem vel cocham ad dictas partes accedere cum mercatoribus et mercaturarum multitudine, cum aliter expedicio ipsius et patronorum dominorum et participum ejusdem viagium esset inutile et dampnosum, et, per consequens, nostre ambaxiate predicte obtatum quem speramus effectum minime obtineret, eapropter, universis et singulis mercatoribus cujuscumque domini et jurisdictionis existant et aliis quibuscumque personis, tam extraneis quam vicinis, cujuscumque gradus, status, legis, condicionis vel prehemencie fuerint, in dicta cocha navigantibus vel navigaturis ad dictas partes vel alias sarracenorum prohibitas, vel de inde, mercando, vel remeando, transferre vel mittere volentibus, cum rebus, bonis et mercibus eorundem, quas voluerint, prohibitis de jure communi dum taxat exceptis, super et de hiis plenam licenciam elargimur, ita quod absque contradiccione nostra et officialium nostrum et alteriuscujuscumque, prout eorum utilitati noverint melius expedire, et sine aliquo etiam metu nostro seu inhibitionum per nos factarum ac penarum impositarum contra navigantes ad partes predictas, nec non marcharum²² seu represaliarum nostrarum vel subditorum nostrorum factarum et faciendarum, possint per sex menses ante recessum dicte coche, faciendo dictum viagium, et per quatuor menses post quam rediverit Barchinonam, ire, stare et redire per totam terram et dominacionem nostram sub fide nostra guidatico ac custodia speciali, salve pariter et secure, ac guitii, liberi et immunes absque aliquo impedimento et contradiccione et absque aliqua marcha vel represalia, redemptione, questia, petitione, exaccione, vel extorsione quacumque nostri vel officialium nostrorum vel alteriuscujuscumque, promittentes firmiter eis et eorum cuilibet quod numquam, pro predictis, vel ratione aut occasione eorum, fiat eis vel alicui ipsorum, aut bonis eorum seu alicujus vel aliquorum ipsorum, aliqua questio, peticio vel demanda, nos enim?²³ ex nunc pro tunc, guidantes ipsos et eorum bona, merces et res, absolvimus, diffinimus, remitimus et relaxamus eis et suis, perpetuo, omnem actionem, questionem, petitionem et demandam et omnem etiam penam civilem et criminalem, ordinariam et extraordinariam, statutam vel statuendam et aliamquamcumque, si quam illis et eorumcuilibet vel bonis ipsorum aut cuilibet eorundem possemus facere, infligere, vel movere premissorum occasione, tam ratione scilicet inhibitionis seu inhibitionum per serenissimos dominos Reges avum et genitorem nostros memorie recolende aut nos dudum facte seu factarum, quam quacumque alia ratione seu causa, ita quod predicti vel singuli eorundem numquam possint pro

²² Primitivamente decía mercaturarum; pero fué tachada y escribióse encima "marcharum".

²³ Lectura dudosa, por hallarse poco clara la 1.^a de las dos letras, con las cuales está abreviada la palabra. Podría ser "tamen"; pero no altera el sentido.

premissis vel aliquo premissorum capi, detineri, impediri, inquietari, conveniri in iudicio vel extra, aut propter ea pena vel mulctatione aliqua condemnari, nec nos, aut subditi nostri qui marchas vel represalia obtinerent, aut officiales nostri possimus et possint ab eis, vel aliquo eorundem, vel bonis ipsorum, vel alicujus eorum ex causis premissis vel aliquibus ex eis aliquid petere, exigere, seu habere; volentes et concedentes etiam quod, quantum ad mercatores cujuscumque domini sint, qui jam in partibus Alexandrie vel aliis supradictis existunt vel fuerint, et ab inde recedere voluerint causa veniendi a ponente, qui in dicta cocha vel navi remeare voluerint, licet ad ipsas partes cum eadem cocha vel navi minime accessissent, et quantum etiam ad mercatores cujuscumque domini et jurisdictionis sint, qui aliquas merces et res sine eorum personis in partibus jurisdictionum nostrarum caricare voluerint, hujusmodi guidaticum et securitas extendantur, tam etiam in terris et iurisdictionibus nostris quam nostrorum omnium subditorum. Et, ut predicta omnia et singula potius robur obtineant firmitatis, juramus per dominum deum et ejus sancta quatuor evangelia manibus nostris corporaliter tacta predicta omnia et singula tenere firmiter et observare, et teneri et observari facere, et in aliquo non contravenire, vel facere vel fieri permittere aliquo modo, ratione, vel causa.—Mandantes cum presenti carta nostra procuratori nostro amirantoque et eorum vices gerentibus, nec non vicariis, bajulis ceterisque officialibus nostris, presentibus et futuris, quod predicta omnia et singula teneant firmiter et observent et faciant ab aliis inviolabiliter observari et non contraveniant aut aliquem contravenire permitant aliqua ratione, eaque, cum per exhibitores presentium fuerint requisiti, voce preconis, publice et palam denuncient et preconizari procurent. In cujus rei testimonium etc.—Datum etc.

XXXI.—*Circa idem.*

Nos Alfonsus etc. Attendentes quod sanctissimus in Christo pater dominus summus Pontifex, pro reliquiis corporis beate Barbare virginis et martiris de terris infidelium ad terras nostras honorabiliter transfretandis aliisque certis negociis fidei catholice exaltationem concernentibus, transmittendi unam navem vel cocham ad terras, quas soldanus Babilonie in ultramarinis partibus detinet, absque excommunicationis pena cum certis nostris nunciis et ambaxiatoribus, quos hac de causa destinare providimus, liberam de fratrum suorum consilio fuit licenciam elargitus, et expediat dictam navem vel cocham cum mercatoribus et mercaturarum multitudine ad dictas partes accedere, cum aliter ipsius et patronorum dominorum et participum ejusdem viagium esset inutile et dampnosum et, per consequens, nostre ambaxiate predictae intentio obtatum quem speramus effectum minime sortiretur, idcirco, cum presenti carta nostra, universis et singulis personis cujuscumque con-

dicionis, legis, aut status existant, tam extraneis quam privatis, transfretandi in dicta navi vel cocha ad dictas partes Alexandrie vel alias dicti soldani Babilonie cum rebus et mercibus, quas voluerint, mittendi-que eadem, prohibitis de jure communi dum taxat exceptis, absque contradictione nostri et officialium nostrorum et alteriuscujuscumque persone, prout eorum utilitati noverint melius expedire et sine aliquo metu nostro seu inhibitionum per nos factarum ac penarum impositarum contra navigationem hujusmodi facientes, plenam et liberam licenciam elargimur, promittentes firmiter personis predictis et earum cuilibet quod per nos vel interpositam personam nomine nostro non movebimus, nec faciemus, nec inferemus, nec fieri nec inferri permittemus eis vel alicui ipsorum et bonis eorum et cujuslibet eorundem aliquam questionem, petitionem, vel demandam in judicio vel extra judicium, nec consentiemus etiam inferenti, imo, ex nunc pro tunc et ex tunc pro nunc, cum presenti carta nostra, absolvimus, diffinimus, remittimus et relaxamus eis et cuilibet ipsorum et bonis eorum et cujuslibet eorundem, in ipsa cocha mercantibus, vel remeantibus tantum, aut quomodolibet navigantibus, vel in ea res et merces suas vel aliorum mittentibus vel mittere volentibus et bonis ipsorum et cujuslibet eorundem, omnem actionem, questionem, petitionem et demandam et omnem etiam penam et mulctationem ejusdem, civilem et criminalem, ordinariam et extraordinariam, statutam vel statuendam et aliam quamlibet, quam illis et eorum cuilibet vel bonis ipsorum et cujuslibet eorundem possemus facere, infligere, vel movere premissorum occasione, tam ratione videlicet inhibitionis seu inhibitionum super hoc per serenissimos dominos avum et genitorem nostros memorie recolende aut nos dudum facte seu factarum, quam ex quacumque alia ratione seu causa, ita quod predicti vel singuli eorundem nunquam possint pro premissis vel eorum occasione capi, detineri, impediri, vexari, inquietari, vel in judicium trahi aut in aliquo conveniri, nec propterea pena aliqua condemnari, immo, ex nunc ut extunc et extunc ut ex nunc, sint ipsi et sui cum mercibus, rebus et bonis eorum immunes et liberi ac perpetuo absoluti, nec nos, aut officiales nostri possumus, aut possint unquam ab eis vel suis in aliquo aut aliquibus eorum vel bonis ipsorum aliquid petere, exigere vel habere, immo possint stare, ire et redire, quandocumque voluerint, salve pariter et secure, gultii, liberi et immunes absque aliquo impedimento et contradictione et absque redemptione, questia, petitione, exactione vel extorsione qualibet nostri vel officialium nostrorum vel alteriuscujuscumque, proviso tamen, ut supra jam tactum est, quod propter hoc non intendimus eis vel alicui aut aliquibus eorum licenciam concedere portandi vel mittendi ad dictas partes arma, ferrum, lignamina vel alia prohibita de jure communi, quinimo ea omnia ab absolute hujusmodi prorsus excipimus, excludendo precise; et, ut predicta potiore robore fulciantur, juramus in animam nostram per dominum deum et ejus sancta quatuor

evangelia predicta omnia et singula tenere firmiter ac perpetuo observare, et teneri et observari facere et eis nullatenus contraire vel contra facere aut permittere modo aliquo, causa, vel etiam ratione. Mandantes, cum presenti carta nostra, procuratori nostro ac amiranto eorum et vices gerentibus, nec non vicariis, bajulis ceterisque officialibus nostris, presentibus et futuris, quod premissa omnia teneant et observent et in nullo contrafaciant vel veniant aliqua ratione, eaque per exhibitores presentium, cum requisiti fuerint, publice et palam voce preconis nunciare et publicare procurent. In cujus rei testimonium etc.

XXXII.—*Circa idem.*

Alfonsus etc. Dilectis et fidelibus universis et singulis subditis nostris mercatoribus, patronis, nautis, marinariis et aliis quibuscumque navigationis officium exercentibus ubilibet constitutis, salutem etc. Cum nos, pro nostris arduis et utilibus negotiis fidei exaltationem Catholice concernentibus, ad terras quas soldanus Babilonie in ultramarinis partibus detinet, cum una navi vel cocha nobis per dominum summum Pontificem absque excommunicationis pena indulta, intendamus certos nuncios destinare et, licet, ut jam est generaliter interdictum, expediat a talibus cessare viaggiis, convenit ne, dicta navis vel cocha in dicto viatico existente, aliqua alia navis seu cocha vel alia vasa maritima ad dictas partes accedant, cum propter hoc nostra nunciatio posset aliquantulum impediri, id circo, licet super hiis interdictum et generalis inhibitio sit indicta contra navigationem hujusmodi attemptantes, vobis dicimus et mandamus sub pena nostre gratie et amoris ac inhibitionum generalium predictarum quatenus ad dictas partes vel earum aliquam, ante recessum aut post recessum dicte navis vel coche nec aliter per dictum dominum summum Pontificem et nos indultum existat, minime accedatis. Mandantes cum presenti carta nostra procuratori nostro et amiranto ac eorum vices gerentibus, nec non vicariis, bajulis ceterisque officialibus nostris, presentibus et futuris, quod, in locis in quibus presunt, predicta, cum per exhibitores presentium requisiti fuerint, publice et palam voce preconis nunciare et publicare procurent. Datum etc.

XXXIII.—*Quando dominus Rex recipit aliquem in familiarem.*

Alfonsus etc. Dilecto devoto .t. canonico salutem etc. Nobis ad gloriam ascribentes, dum ad nostra negotia viros industriosos et prudentes eligimus dumque regalis excellencie latera virtuosis utique circumspecta ministris conspiciamus decorari, ideo ad vos .t. predictum, nitore nundicie ac morum honestate conspicuum, matura providencia providum et in omnibus circumspectum, nostre considerationis intuitum dirigentes ac volentes, propterea, personam vestram tamquam benemeritam nostre familiaritatis titulo insignire, vos in clericum familiarem et domesti-

cum nostrum recipimus et aliorum clericorum familiarium et domesticorum nostrorum numero agregamus, volentes ac vobis specialiter concedentes ut illis, de cetero, honoribus et favoribus gaudeatis, quibus alii clerici familiares et domestici nostri potiri vel perfrui dinoscuntur. Ceterum, quia vos frequenter, prout negotiorum et agendorum varietas exigit, ad diversas partes et loca declinare contingit, idcirco omnibus officialibus et subditis nostris districte precipiendo mandamus et universos et singulos amicos et devotos nostros affectuose requirimus et rogamus quatenus vos et bona vestra, que sub speciali protectione et custodia nostra recipimus, manuteneant et defendant, eundo, stando, morando ac etiam redeundo, nec permitant vobis in persona vel bonis fieri vel inferri injuriam, violentiam, offensam, molestiam vel jacturam, set vos cum equitaturis et aliis rebus vestris ubique libere transire permitant, nec sinant impedimentum aut obstaculum fieri super eis, quinimo vobis provideant, cum opus fuerit, de securo transitu et conductu vosque admitant et tractent favorabiliter et benigne et tamquam clericum familiarem et domesticum nostrum prosequantur ubilibet honoribus congruis et favoribus opportunis. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

XXXIV.—*Sequuntur inferius aliquę carte facientes pro armata Barchinone. Responsiva.*

Alfonsus etc. Dilectis et fidelibus suis consiliariis ac probis hominibus .t. civitatis, salutem etc. Vidimus fideles nostros .t. et .t., concives vestros, quos ad nostram presenciam cum litera credentie nobis per eos exhibita destinastis, et intellectis plenarie tam hiis que dicti vestri nuncii, qui in comissis eis per vos se multum diligenter et sollicite habuerunt, dicere coram nobis ac proponere voluerunt, quam contentis in quibusdam capitulis nobis per eos oblatis, vestrum laudabile propositum super hiis merito comendants, vobis taliter respondemus nos dicta capitula favorabiliter concessisse, prout in responsionibus in fine cujuslibet dictorum capitulorum contentis poteritis intueri. Ceterum, quia dicti vestri nuncii ex parte vestra supplicarunt, ut vobis concedere dignaremur quod, durante impositione quam facere intenditis, non peteremus exercitum civitatis predictę, vobis harum serie ducimus respondendum quod, cum casus acciderit, si fieri valeat, super eo taliter providebimus quod inde poteritis contentari. Datum etc.

XXXV.—*Concessio armandi.*

Nos Alfonsus etc. Debita medietatione pensantes qualiter per officiales nostros .t. et .t. nuncios civitatis .t., noviter ad nostram presentiam destinatos, nobis extitit intimatum, quod, cum Ianuenses absque aliqua justa causa non nullis ex civibus civitatis jam dicte et aliis dampna quam plurima intulerint ac cotidie inferre non cessent, et ob hoc consiliariis

ac probi homines dicte civitatis intendant armatam facere contra ipsos, ut possint periculis dictorum subditorum nostrorum, ut convenit, obviare, et aliqui etiam terre nostre, ex hac causa, per se velint armare cochas, galeas et alia vassella pro dampnificandis januensibus hostibus supradictis, supplicariint²⁴ nobis nuncii memorati ut concessionem subscriptam de solita clemencia facere dignaremur, nos vero, supplicationi hujusmodi favorabiliter annuentes, et ut nostri subditi a quibusvis indebitis oppresionibus preserventur illesi locum dare volentes, tenore presentis carte nostre concedimus universis et singulis terre ac jurisdictionis nostre quod possint armare cochas, galeas, seu vassella quecumque, aut partem in eis ponere et cum eis dictos januenses invadere, ledere, ac bona eorum capere et marchare, et id quod ab eis habuerint, seu occupaverint, in terra nostra vendere, si voluerint, aut de eo encantum tenere ac suis utilitatibus valeant applicare. Nos enim ipsis et eorum cuilibet concedimus, ex gratia ampliori, quod de dampnis que inferant januensibus supradictis, vel de occupatis, seu ab eis habitis vel habendis, aut occupandis, non possint per nos seu officiales nostros vel alios quoscumque impeti, demandari, seu quomodolibet conveniri, cum nos ex debito justitie eis hoc duxerimus concedendum. Mandantes per presentem cartam nostram procuratori nostro ejusque vices gerentibus, vicariis, bajulis, ceterisque officialibus nostris, presentibus et futuris, quod concessionem nostram hujusmodi teneant et observent et faciant observari, quamdiu nobis placuerit, et contra eam non veniant, nec aliquem contravenire permitant aliqua ratione, nec super premissis impedimentum aliquod interponant. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

XXXVI.—*Super impositione.*

Nos Alfonsus etc. Considerantes vos fideles nostros consiliarios et probos homines civitatis..., ut ex relatione nunciorum vestrorum et aliorum percepimus, impositionem super certis rebus in dicta civitate velle ordinare ratione armate quam facere intenditis contra januenses, qui vestris concivibus et aliis nostris subditis dampna quam plurima intulerunt ac cotidie inferre non cessant, ea propter, de legalitate vestri plenarie confidentes, ut vos dicti consiliarii, de pecunia ex dicta impositione proventura, tam in legationibus quam in aliis negociis dicte civitatis necessariis; dum durabit dicta impositio, possitis convertere vestri arbitrio, plenam vobis auctoritate presentium concedimus facultatem, nec super eo per nos, vel nostros, aut aliquem loco nostri, vobis petitiio, vel inquisitio aliqua fieri valeat, seu demanda. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

²⁴ Primitivamente decía *supplicarunt*; pero se adicionaron los dos puntos sobre los trazos de la *u* y quedó *supplicariint*.

XXXVII.—*Impositio.*

Nos Alfonsus, etc. Considerantes fideles nostros consiliarios ac probos homines civitatis..., propter armatam quam contra januenses hostes nostros, qui tam nonnullis ex civibus dicte civitatis quam aliis subditis nostris depredationes, raubarum ac dampna non modica absque aliqua justa causa multifarie multisque modis intulerunt, facere intendunt ad honorem nostri ac totius dicionis nostre et subditorum nostrorum comodum et augmentum, fecisse et ordinasse quasdam ordinationes ex quibus collecte aliquae denariorum in civitate ipsa, tam de victualibus, navibus et aliis vassellis marinis inde recedentibus vel inibi applicantibus, quam aliis, prout in ipsis ordinationibus, que in scriptis nobis exhibite et lecte fuerunt pro parte dictorum consiliariorum et proborum hominum supplicantium ut super ordinationibus ipsis nostram dignaremur auctoritatem prestare pariter et assensum eaque laudare atque jurare, plenius continentur, ea propter, visis, auditis et examinatis ordinationibus ipsis, que coram nobis lecte serius extiterunt, dictorumque consiliariorum ac proborum hominum laudabile propositum ac nobis placidum atque gratum nec inmerito reputantes, jam dictas ordinationes et earum singulas factas ex causa predicta scripti nostri serie laudamus, approbamus ac eis nostram auctoritatem regiam prestamus pariter et assensum, jurantes per Deum et ejus sancta quatuor Evangelia, manibus nostris corporaliter tacta, ea tenere et observare et facere observari et non contrafacere, vel venire aliqua ratione. Tenor vero dictarum ordinationum sequitur in hujusmodum: In nomine domini et gloriosissime Virginis Marie, matris ejus, et Beate Eulalie Barchinone et omnium sanctorum ordinarem. etc. Mandamus igitur per presentem cartam nostram procuratori nostro ejusque vices gerenti, vicariis, bajulis generali et specialibus ceterisque officialibus nostris et eorum loca tenentibus quod predicta omnia et singula, prout superius declarata et expressata sunt, firma habeant et observent et teneri faciant ac inviolabiliter observari et non contraveniant, nec aliquem contravenire permitant aliqua ratione. In cuius rei testimonium etc. Datum etc.

XXXVIII.—*Privilegium super prejudiciis relevandis ratione predicta.*

Pateat universis quod nos Alfonsus etc. Animadvertentes qualiter vos fideles nostri consilarii ac probi homines et universitas civitatis .t., ad utilitatem rei publice anelantes, pro confusione januensium hostium vestrorum qui tam nonnullus ex vestris civibus quam aliis nostris subditis, diabolico spiritu excitati, aliqua justa causa minime precedente, in personis et bonis dampna quamplurima intulerunt, intenditis certam armatam galearum, navium et aliorum vasellorum facere pre-

parari, pro cuius effectu ordinastis noviter de nostro consilio et assensu quamdam impositionem in dicta civitate colligendam sub certa forma de victualibus, navibus et aliis navigiis ac quibusdam aliis, prout in carta nostra super dicta ordinatione vobis facta largius expressatur, idcirco volentes, prout bene convenit, quod per dictam impositionem, seu ordinationem, privilegiis, usibus et consuetudinibus civitati prefate generaliter vel specialiter indultis, confirmatis, seu obtentis, nullum prejudicium generetur, tenore presentis carte nostre, ex certa scientia, concedimus vobis dictis consiliariis, probis hominibus totique universitati civitatis Barchinone jam diete quod, propter ordinationem seu impositionem premissam, dictis privilegiis, usibus, consuetudinibus, libertatibus, franquitatibus seu inamunitatibus in eis comprehensis detrahi non valeat, seu in aliquo derogari, seu aliquatenus prejudicium generari, immo illa privilegia, usus et consuetudines et omnia et singula in eis contenta robur perpetuum auctoritate regia volumus obtinere, sicut obtinebant ante ordinationem seu impositionem predictam, cum ea feceritis liberaliter et ex vestra gratuita voluntate pro nostris serviciis, ut est dictum, ex quibus digni estis favoris gratiam promereri et dispendium nullum pati. Promittentes vobis nilominus quod in predictis vel aliquo predictorum aliquid non tangemus, vel capiemus, nec tangi, vel capi ab aliquo faciemus, nec etiam inquisitionem super predictis faciemus contra illos, qui super predictis deputabuntur per vos consiliarios et probos homines antedictos. Item promittimus quod faciemus, in omnibus et per omnia, dictam impositionem seu ordinationem haberi, colligi et recipi per vos vel quos volueritis loco vestri secundum formam ejusdem. Promittimus etiam vobis quod nos vel nostri per similem modum non possimus petere vel habere in dicta civitate collectam aliquam de pane, vino, carnibus, vassellis et aliis in modum adjutorii subsidii prestiti, doni, servicii vel aliquo alio modo, qui dici, vel excogitari possit. Item promittimus vobis quod nos non mandavimus, nec mandari faciemus, nec requiremus, aut requiri faciemus, ullo modo, ulla ratione vel conditione, aut ulla causa, quod dicta ordinatio seu impositio duret vel teneatur ultra tempus per vos prefigendum, nisi forte istud esset de propria voluntate ac nova ordinatione vestrum consiliariorum ac proborum hominum predictorum cum auctoritate nostra pariter et assensu. Mandamus igitur per presentem cartam nostram procuratori nostro ejusque vices gerenti, vicariis, bajulis ceterisque officialibus nostris presentibus et futuris, quod predicta omnia et singula teneant firmiter et observent et faciant tenaciter observari et non contraveniant, nec aliquem contravenire permitant aliqua ratione. In cuius rei testimonium etc. Datum etc.

Signum Alfonsi etc.

Testes sunt etc.

XXXIX.—*Super non indicenda hoste, dum dicta impositio durabit.*

Nos Alfonsus etc. Pensantes qualiter vos fideles nostri consiliarii ac probi homines .t. civitatis, ad confusionem januensium qui, nulla causa rationabili previa, nonnullis ex vestris civibus ac alis nostris subditis in personis et bonis dampna quamplurima intulerunt, promptis animis anelatis, pro cuius quidem negotii prosecutione, tam in armando galeas quam alia vasa marina, ordinastis noviter quamdam impositionem de consilio et assensu nostris in dicta civitate sub certa forma et de certis rebus colligendam et habendam, prout in ordinatione ipsa latius expressatur, id circo, volentes nos propterea gratia prosequi et favore ad supplicationem pro parte vestri nobis exhibitam, tenore presentis carte nostre concedimus vobis, quod, infra tempus per quod durabit, seu durare debuerit impositio supradicta, non mandabimus, seu indicemus, aut mandari seu indici faciemus vobis exercitum, hostem, seu cavalcata, neque, durante dicto tempore, vos seu aliquem aut aliquos ex vobis ad faciendum dictum exercitum, hostem, vel cavalcata compellemus, seu faciemus compelli. Intendimus tamen quod, si de necessitate ex aliquo imminente casu dictum exercitum necessarium haberemus, illum petere et habere possimus, presenti concessionem in aliquo non obstante. Mandamus igitur per presentem cartam nostram procuratori nostro ejusque vices gerenti, vicariis, bajulis ceterisque officialibus nostris, presentibus et futuris, quod concessionem nostram hujusmodi teneant et observent, ut superius continetur, et non contraveniant, nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione. In cuius rei testimonium etc. Datum etc.

XL.—*Responsiva.*

Alfonsus etc. fideli nostro... civi .t. civitatis salutem etc. Vidimus quamdam litteram vestram dilectis nostris Petro et Jacobo pridie per vos missam, per cuius tenorem collegimus in effectu quod egregius venetiarum Dux de negotio armate seu scoli galearum, qui nunc in dicta civitate paratur, ad quid et per quem et contra quas personas dirigitur et quo tendere debant a vobis petiit informari. Nos vero ex sinceritatis affectu, quam ad nos et inclitam domum nostram dictum Ducem et ejus comunc habere percepimus, dignum duximus vos ei totum id stilo perducere certiori, in hunc videlicet modum quod, sicut vos bene nostis, cum improborum januensium et sahonensium detestanda perversitas, quam contra Deum et justitiam adversus omnium nationes, dampnatis ausibus et relaxatis habenis, jugiter per nefarios excessus augmentant, quamplures ex fidelibus nostris injuriis gravibus, rapinis enormibus, dispendiis variis et offensis multipliciter afflisset, cives et incole .t. civitatis, quibus inter ceteros a dictis ja-

nuensibus et sahonensibus dampna quam plurima fuerant irrogata, tot et tanta gravamina ferre ulterius non valentes, providerunt armata egregie XL quinque galeas, cum quibus adversus predictos publicos hostes nostros in virtute altissimi insurgentes et recuperare surrepta et illos ab hujusmodi insolenciis possint viriliter cohibere; ad id vero quod dicta vestra inuit littera et per quosdam alios fideles nostros similiter nobis extitit intimatum memoratum Ducem et comune veneciarum fidelibus nostris civibus... civitatis et aliis gentibus nostris, libenter, super hiis, reddere se conformes et cordialiter affici ad subeundum tractatus et pacta, seu emprehendimenta firmandum, pro conterenda simul cum eis nefanda protervia predictorum, per vos dicto Egregio Duci significari volumus quod, quia semper audivimus ipsum et comune veneciarum erga illustres progenitores nostros et nos sincere dilectionis constantiam habuisse et subditos nostros ubique favorabiliter et honorifice pertractasse, occurrerint premissa multum accepta et placida votis nostris, ita quod, si per ipsos invitetur ad ista et ad unionem hujusmodi procedatur, nos, omissis aliis negotiis ad que regia sollicitudo suas verterat attentiones, intendimus ad premissa scilicet supradictum augere, et sic, actore domino, in manu forti regalis potentie brachium ad extremam confusionem ipsorum improborum dirigere, quod eorum semel perterrita et atrita temeritas non absque debita inflictione penarum prorsus ubilibet dissipetur. Datum etc.

XLI.—*Electio officii capitaneie.*

Nos Alfonsus etc. Quia vos nobilis et dilectus consiliarius noster... de domo nostra, ad honorem nostrum et gentium nostrarum que injuste per piratas in mari dampna sustinuerunt plurima, cum aliquibus aliis duas cochas seu naves armare intenditis, in quibus nos certum quid armabimus, cum quibus possitis dampnum seu malum inferre quibuscumque sarracenis nec non aliis inimicis nostris, idcirco, pro tuitione nostre maritime et ut gentes nostre securis valeant navigare, tenore presentis carte nostre constituimus et ordinamus vos dictum nobilem in capitaneum, seu presidentem dictarum cocharum, ita quod per vos et commissarios vestros predictum capitaneie et presidentis regatis officium, ad honorem et servicium ac fidelitatem nostram et ad nostrum et dicte armate commodum et profectum. Nos enim, tenore presentium, vobis concedimus quod vos et ille, aut illi, quem, vel quos ad hoc loco vestri statueritis, de causis et questionibus civilibus et criminalibus, que inter homines dictarum cocharum, seu aliorum vasorum, que vobiscum abierint, quomodolibet insurrexerint, de illis videlicet que contracte vel incohate fuerint postquam dicta armata incepta fuerit et ipsa armata durante, cognoscat et cognoscere valeat ad vestrum arbitrium, secundum statutum et consuetudinem armate, et singulis conquerentibus faciatis justitiam sive etiam ministretis, quam tum cognitionem

exerceatis et exerceri faciatis de causis et questionibus, quas moveri contingat a XV diebus antecedentibus diem assignatam ad recolligendum et in antea usque ad alios XV dies, postquam dicta armata cursum suum peregerit, seu donec ipse coche fuerint desarmate. Excipimus tamen a cognitione vestra et commissariorum vestrorum omnes questiones, seu actiones reales, quas locorum ordinariis reservamus. Nolumus autem quod de bonis, armis, mercibus et aliis quibuscumque rebus existentibus in navibus, cochis, lignis et aliis quibuscumque vasseillis inimicorum nostrorum ac de personis eorum capiendis per armatam predictam nobis, aut nostre curie, teneamini respondere nec nobis solvere jus quinte, seu aliquod aliud, cum id totum vobis tenore presentium grosse ²⁵ duxerimus concedendum. Et, cum dicte coche per vos armentur, ut predicatur, noiumus ut de premissis omnibus teneamini amiranto nostro, seu alicui alii, jus amirantie, seu aliquod aliud exsolvere, seu ei, aut eis, in aliquo respondere. Mandamus itaque per presentem cartam nostram amiranto nostro, procuratoribus, gubernatoribus eorumque vices gerentibus, aministratoribus, capitaneis, potestatibus, vicariis, justitiis, bajulis, curiis ac quibuscumque aliis officialibus et subditis nostris, per omnia regna et terras nostras constitutis et constituendis, presentibus et futuris, quod vos dictum nobilem pro capitaneo dicte armate habeant et teneant ac omnibus, que ad ipsum capitaneie officium atque negotium spectare noscuntur, ad honorem et servicium ad fidelitatem nostram pareant, respondeant, obediant et attendant. Hanc autem concessionem nostram durare volumus, dum de nostra processerit voluntate. In cuius rei testimonium presentem fieri etc. Datum etc.

XIII.—*Exequatoria.*

Alfonsus etc. Dilectis amicis et devotis suis nec non procuratoribus, gubernatoribus eorumque vices gerentibus, aministratoribus, capi-

²⁵ La palabra *grosse* está escrita en el texto *grose*, y sobre ella el signo general de abreviación. Se abrevia del mismo modo en otras fórmulas (núms. LV, LVIII, LXIV, LXVI, LXVIII, etc.) apareciendo alguna vez íntegra, como en la fórmula LXVII. Va unida generalmente —en esta forma adverbial o en la de adjetivo— a las palabras *favoribus*, *honoribus*, *prosequi*, *concedere*.

Podría dudarse, a primera vista, entre la lectura *grosse* o *generose*; pero, tanto razones de carácter paleográfico como la misma significación de la palabra abonan la lectura de *grosse*. En efecto: desde el punto de vista paleográfico no cabe leer *generose*, pues el adjetivo *generosus*, o se escribe íntegro en el formulario, o se abrevia en la forma corriente de *genosus* y el signo correspondiente a *er*. Aparte de esto, el sentido de la palabra *grossus*, *grosse*, coincide con el que le asigna Du Cange (*grossus* =: *magnus*, entre otras acepciones) y no con el que tiene *generosus*, que se refiere a la idea de linaje, nobleza (véanse fórmulas LIX y CIX).

Sirva esta observación para los restantes casos del formulario, en que nos encontremos con la misma palabra en sus dos formas de adjetivo o adverbio.

taneis, potestatibus, vicariis, justitiis, bajulis, curiis ac quibuscumque aliis officialibus et subditis nostris per omnia regna et terras nostras constitutis et constituendis, presentibus et futuris, salutem etc. Cum nos nobilem et dilectum consiliarium nostrum... in capitaneum duarum navium seu cocharum, quas ipse fecerit armari, constituimus, id circo, vos amicos et devotos nostros attente rogamus aliisque officialibus et subditis nostris districte mandamus quatenus, receptando et tractando ipsum nobilem et alios qui cum eo fuerint favorabiliter, ipsos protegendo et defendendo, si necesse fuerit, detis eisdem refrescament, seu victualia eis necessaria, sua pecunia mediante, nec non etiam assistatis eisdem auxilio, consilio et favore, quando et quoties inde ab eodem fueritis requisiti. Datum etc.

XLIII.—*Senescalquia Cathalonie.*

Pateat universis quod nos Alfonsus etc. Dum noster curis animus agitatur, quam nobis sit utile quam decorum ad regie dignitatis negotia, viros preclaros eligere nostreque magnificentie latera ministris conspicuis decorare, ad id perpensus intuitum considerationis nostre dirigimus, per quos regalis culminis excellentiam ac ejus officia personis insignibus sublimemus. Igitur, attendentes qualiter progenitores nostri, Comites Barchinone, officium senescalquie Cathalonie, quod non solum extra set intra domum ipsorum tenebat sicut et nunc tenere dinoscitur locum notabilem, nobilibus quondam stirpis de Montecatheno concesserunt, illos inter barones ceteros Cathalonie, velut strenua probitate ac nobilitate generis insignitos, ad hujusmodi officium eligentes; considerantes insuper quod, si dicti progenitores nostri comitali solum titulo predicti ob sui prerrogativam honoris de nobilioribus sui dominii eidem officio pretulerunt, nos, quos divine providencie altitudo provexit ad regie celsitudinem dignitatis, tanto tenemur officium ipsum extollere illudque sublimiori persone vehementius insignire, quanto ex hec potius culmen nostre magestatis extollitur quantoque regalis preheminentia comitalem dignitatem extollit et ei sublimius antefertur, eo presertim quod per senescalcum eundem non solum in parte domus nostra regatur, set idem etiam in exercitibus regiis insignia prelature defferat et exerceat, et per illum persone nostre speciale servitium ex quodam prerrogativa honorificencie pectoris certis temporibus impendatur, id circo, ad vos inclitum et spectabilem virum infantem Petrum, fratrem nostrum legitimum, ac Ripacurcie et impuriarum Comitem, aciem regie celsitudinis dirigentes ac nobis ad gloriam ascribentes, si personam vestram egregiam, cui regalis prosapie gloriosa facunditas dedit ortum natalibus cujusque floridum juventutis initium, ornamenta virtutum et varia numerata gratiarum nobilitatis strenuis decorant hauspicis ac magnificis provehunt incrementis, ad hujusmodi Senescalchie officium assumamus, ea propter, predicto

officio per mortem nobilis G.ⁱ de Montecatheno dudum presidentis eidem qui pridem decessit, sexus utique masculini prole aliqua non relicta, ad jus et dispositinam nostre curie devoluto, volentes vobis propterea de hujusmodi officio et eidem de tali ac tanto preside providere, per nos et omnes successores nostros damus, conferimus atque concedimus vobis, dicto inclito infanti Petro ac filiis et posteritati seu progeniey vestre, masculini sexus dum taxat, uni post alium, successive, de corpore vestro ex legitimo matrimonio descendentibus, illis videlicet qui hereditati fuerint in Cathalonia, Senescalchiam Cathalonie supradictam, seu ipsius senescalchie officium in perpetuum cum Majordomia videlicet domus nostre et cum portione in domo nostra et cum districtu debito et consueto, tam in ipsa domo nostra quam alibi, et cum universis aliis et singulis juribus et pertinentiis spectare debentibus ad eandem, ita quod vos et posteritas vestra predicta ipsam Senescalchiam teneatis, regatis et exerceatis perpetuo ad honorem et fidelitatem nostram, legaliter atque bene, et habeatis et percipiatis in domo nostra portionem et omnia alia et singula jura, que ad dictam Senescalchiam et ejus senescalchum spectare noscuntur et pertinent quoquomodo, concedentes vobis et vestris quod possitis ponere, statuere et ordinare in domo nostra militem unum, quem volueritis, idoneum tamen et sufficientem, qui officium Majordomie regat pro vobis et teneat et exerceat infra Cathaloniam juraque percipiat consueta, dum de vestre processerit beneplacito voluntatis. Retento nobis et nostris quod, si vobis dicto infanti aut vestre posteritati ex legitimo matrimonio per rectam masculinam lineam descendentem filius de legitimo matrimonio masculini sexus non superesset imperpetuum, quandocumque, quod eo ipso presens donatio, sive concessio, ex tunc nullam obtineat firmitatem, set nostre curie absque ulla retentione, conditione et reductione libere devolvatur nosque et nostri de dicto officio in casu premissis possimus, prout voluerimus, libere ordinare; ut autem presens concessio nostra majori robore fulciatur, vos per presentis carte nostre traditionem nomine vestro et vestre posteritatis imperpetuum de dicto Senescalchie officio corporaliter investimus ipsamque presentem concessionem nostram plumbea bulla nostra jussimus comuniri, in testimonium premissorum. Datum etc.

Signum. Alfonsi etc.

Testes sunt etc.

XLIV.—*Majordomia regni Valencie.*

Nos Alfonsus etc. Attendentes illustrissimum dominum Regem Jacobum bone memorie patrem nostrum, ob multa grata et accepta servicia per nobilem et dilectum consiliarium nostrum... patrem vestri... sibi exhibita, concessisse eidem nobili patri vestro, toto tempore vite sue, officium Majordomie domus nostre in regno Valencie, cui quidem officio

renunciare voluit in persona vestri dicti... ejus filii, qui onera ejusdem officii poteritis levius et decentius supportare et circa regimen domus nostre intendere, ea propter considerantes personam vestram fore sufficientem et idoneam ad predictum officium exercendum, recolentes etiam dicta gratuita servicia per nobilem patrem vestrum predictum et predecessores suos ²⁶ nobis ac progenitoribus nostris exhibita et que speramus per vos nobis imposterum exhiberi, gratis et ex certa scientia damus et concedimus vobis dicto..., toto tempore vite vestre, de assensu et voluntate dicti patris vestri, Majordomiam domus nostre in regno Valencie, cum universis et singulis juribus pertinentibus et pertinere debentibus ad eandem, prout officium ipsum prefatus nobilis pater vester et alii, qui ante eum tenuerunt predictum Majordomie officium, consueverunt tenere ac etiam exercere, ita quod vos ipsam Majordomiam teneatis, regatis et exerceatis ad honorem, servicium et fidelitatem nostram, legaliter atque bene, et recipiatis, percipiatis ac etiam habeatis in domo nostra portionem et alia jura omnia et singula, que dictus pater vestri ac alii regentes ipsum officium Majordomie in regno Valencie retroactis temporibus habuerunt, concedentes vobis, toto tempore vite vestre, quod possitis ponere ac statuere, seu ordinare in domo nostra militem unum, quemcumque volueritis, idoneum tamen et sufficientem, qui in vestri absentia officium Majordomie regat pro vobis et teneat, dum vobis placuerit, prout hoc ab aliis majoribus domus, retroactis temporibus, extitit usitatum, qui sic a vobis ordinatus, ipsum officium Majordomie loco et nomine vestri teneat et exerceat ac jura recipiat consueta. Mandantes per presentes universis et singulis officialibus domus nostre, presentibus et qui pro tempore fuerint, quod vos et dictum substitutum a vobis pro majore domus dicte domus nostre, toto tempore vite vestre, in dicto regno Valencie habeant et teneant vobisque ut majori domus obediant et pareant ac etiam respondeant de juribus assuetis. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

XLV.—*Littera protectionis super aliquo monasterio.*

Alfonsus etc. Dilectis et fidelibus suis procuratori, vicariis, bajulis et universis aliis officialibus et subditis nostris, presentibus et futuris, ad quos presentes pervenerint, salutem etc. Considerantes quod, licet ex regalis benevolencie debito universos sub nostre dicionis regimine residentes teneamur sub libra pacis et justitie confovere, loca tamen et bona ordinum et monasteriorum ceterarumque personarum religiosarum in jure debemus astrictius defendere et tueri, ea propter, hiis rationibus excitati, vobis et cuilibet vestrum per presentes dicimus et mandamus quatenus mantenentes et deffendentes in jure venerabilem et religiosum virum... abbatem et priorem sancti Jacobi subjectum eidem

²⁶ Hay un raspado y sobre él la palabra *suos*.

et eorum monasteria et castra, et canonicos clericos regulares et seculares, et homines, res et bona ipsorum habeatis et teneatis sub custodia et protectione specialiter comendatos, ipsis tamen abbate, priore et eorum hominibus facientibus conquerentibus de eisdem justitie complementum; predictam autem deffensionem et custodiam facimus et facere intendimus, sub hac videlicet conditione, quod nobis vel hominibus nostris, seu terre nostre, nullum dampnum seu malum inferatur de locis abbatis et prioris predictorum nec per homines eorundem, nec etiam quod de predictis locis aliqui exeant vel receptentur in eis, qui nobis aut gentibus nostris et subditorum nostrorum dampnum inferant aliquid, seu gravamen. Datum etc.

XLVI.—*Tutoria.*

Nos Alfonsus etc. Attendentes, pro parte consanguineorum et amicorum nobilis..., filii pupilli nobilis..., fuisse nobis humiliter supplicatum ut, cum dictus... sic inpupillari erat constitutus et non habeat, quo ad presens, qui eum et bona sua procuret, gubernet, seu etiam aministret, et dicti consanguinei et amici sui affectent vos nobilem et dilectum nostrum... sibi in tutorem assignari, dignaremur vos, tamquam utiliozem pupillo ipsi et bonis suis, de benignitate regia assignare, nos vero, supplicatione ipsa benigne suscepta, de legalitate et industria vestri dicti nobilis... merito confidentes, vos in tutorem dicto pupillo ac bonis suis tenore presentium providimus assignandum, concedentes vobis dicto tutori plenam et liberam potestatem et administrationem honorum dicti pupilli et persone ipsius, et in iudicio et extra, pro ipso et bonis suis esse et omnia et singula facere, que verus et legitimus tutor facere potest et debet; vos vero jurastis in manu nostra per Deum et ejus sancta quatuor evangelia, corporaliter per vos tacta, dicti pupilli utilia procurare et inutilia evitare et inventarium seu inventaria, ni necesse fuerit, publice facere, te etiam prestitistis in posse nostro fideiussores subscriptos super faciendo salvam rem pupilli predicti. Ego itaque, dictus..., tutelam predictam cum reverencia debita ac ejus onus suscipiens, in me sponte convenio et promito vobis serenissimo ac magnifico principi et domino domino Alfonso dei gratia Regi Aragonum predicto et notario infrascripto, presentibus pro dicto pupillo et pro personis quarum interest et interesse potest et poterit, patiscenti? ²⁷ et legitime stipulanti, utilia dicti pupilli procurare et inutilia evitare et inventarium seu inventaria, si necesse fuerit, publice facere sub virtute

²⁷ Puede leerse indistintamente *patiscenti* (de patisco o patesco = mostrarse, hacerse público) y *paciscenti* (de paciscor = pactar, estipular, etc.). La frase "notario patiscenti (o paciscenti) et stipulanti" aparece varias veces en el formulario.

juramenti superius prestiti per me. Et, pro hiis complendis, obligo vobis dicto domino Regi et dicto notario, presenti et stipulanti ut supra, omnia bona mea, quecumque sint et etiam ubicumque. Et nilominus dono inde fideiussores nobiles... et..., qui mecum et sine me ad predictam complendam firmiter teneantur, ad hoc nos suscipientes in nos sponte hanc fideiussionem et renunciantes quantum ad hoc, ex certa scientia, nove constitutioni et beneficio dividende actionis et legi dicenti quod prius conveniatur principalis quam fideiussor et omni alii juri, foro romano et consuetudini contra hec repugnantibus, convenimus vobis dicto domino Regi et notario infrascripto patiscenti? ²⁸ et stipulanti, ut supra, uterque nostrum in solidum predicta attendere et complere et attendi facere et compleri per nobilem supradictum, obligantes propterea uterque nostrum insolidum omnia bona nostra, quecumque sint et etiam ubicumque. Datum etc.

Signum Alfonsi etc.

Signum tutoris predicti qui hoc firmo et juro.

Signum fideiussorum predictorum qui hoc laudamus et firmamus.

Testes debet poni ordinarie ut in instrumentis publicis. Et in clausura debet facere scriptor mencionem quod sit scriptor domini Regis et notarius publicus.

XLVII.—*Concessio castri et domus plane.*

Nos Alfonsus etc. De legalitate atque industria vestri dilecti nostri... plenam fiduciam obtinentes comittimus sive comendamus vobis castrum nostrum vocatum castrum leonis, situm in valle nostra Aranni, tenendum et custodiendum pro nobis ad forum et consuetudinem Ispanie, ita quod vos teneatis et custodiatis pro nobis bene et legaliter dictum castrum et sitis pro nobis alcaydus ipsius castri, dum de nostro fuerit beneplacito voluntatis, etiam pro nobis pro domo plana et non pro castro turrem de Guexa, sitam in valle predicta, constituentes seu concedentes et assignantes vobis, pro retinencia seu custodia dicti castri et turris predictae, tot solidos, quos anno quilibet, dum dictum castrum et turrem predictam tenueritis pro nobis, habeatis et recipiatis super redditibus, exitibus, proventibus et aliis quibuscumque juribus nostris vallis Aranni, cujus vallis bajuliam et generalem aminstrationem vobis cum alia carta nostra comisimus, ita quidem quod, si redditus et alia predicta ad hec non sufficerent, nos vobis pro residuo teneri volumus ad solvendum. Mandamus itaque universis et singulis militibus, consulibus et universis et singulis universitatibus et aliis quibuscumque habitatoribus dicte vallis quod vos pro alcaydo nostri dicti castri habeant et teneant ac vobis dicto... pareant, respondeant et obediant, in omnibus et

²⁸ Sirva lo dicho anteriormente.

singulis ad Alcaydiam ipsam spectantibus et spectare debentibus et de quibus alcaydo dicti castri parere et respondere et obedire tenentur et debent, dum ipsum castrum de beneplacito nostro tenueritis, ut est dictum. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

XLVIII.—*De castro quod comititur pro domo plana.*

Nos Alfonsus etc. Confidentes de fide et legalitate vestri... comitimus sive comendamus vobis alcaydiam castri nostri de Cellia²⁹, situm in tali loco, ita quod vos sitis alcaydus castri ipsius et ipsum teneatis et custodiatis pro casa plana pro nobis, bene et legaliter, dum vobis fuerit vita comis, pro cuius custodia et retinencia habeatis et percipiatis tot solidos jaccenses annuatim, quos vos assignamus anno quolibet habendos et percipiendos super talibus redditibus. Mandamus itaque per presentem cartam nostram bajulo nostro Aragonum generali, nec non... et..., quod de dictis redditibus vobis dicto... exsolvant, anno quolibet, vobis dictos tot solidos, dum vobis fuerit vita comis, ut superius dictum est, non obstantibus quibuscumque aliis asignationibus, cum retinencie castrorum pre aliis sint solvende. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

XLIX.—*Exequotoria.*

Alfonsus etc. Ffidelibus nostris universis et singulis hominibus... loci salutem etc. Cum nos, cum alia carta nostra, comiserimus seu comendaverimus... castrum nostrum de ...locotenendum et custodiendum pro nobis, dum nobis placuerit, eique pro retinencia castri ipsius tot solidos anno quolibet providimus tribuendos, ut in carta ipsa latius continetur, ea propter vobis dicimus et mandamus quatenus dictum... pro alcaydo dicti castri habeatis et teneatis sibi que pareatis, obediatis et respondeatis de omnibus hiis, de quibus aliis alcaydis dicti castri consuetum est responderi et de aliis etiam que ad tuitionem dicti castri pertinere noscuntur et nilominus cum eo vos geratis et habeatis benigne. Datum etc.

L.—*Circa idem.*

Alfonsus etc ffideli nostro... Cum nos cum alia carta nostra, ut in ea latius continetur, comiserimus..., dum nobis placuerit, ...castrum, et pro retinencia castri ipsius sibi anno quolibet... solidos jaccenses providerimus tribuendos de redditibus et juribus... loci, idcirco, cum castrorum retinencie pre aliis sint solvende, vobis dicimus et mandamus expresse quatenus faciatis solvi annis singulis per homines dicti loci ex redditibus et juribus nostris loci ipsius dicto..., vel cui loco sui voluerit, per tercias, absque dilatione aliqua..., solidos supradic-

²⁹ Puede leerse también Celha.

tos, recipiendo seu faciendo recipi de hiis, que sibi predicta de causa solveritis, apochas de soluto. Datum etc.

LI.—*Emancipatio.*

Nos Jacobus etc. Ad supplicationem vestri Incliti Infantis... eximii primogeniti nostri presentis, volentis et petentis a sacris paternis vestris dimitti et a nexu potestatis patrie liberari, vos cum testimonio presentis publici instrumenti emancipamus, relaxamus et a nostra manu et paterne nexibus potestatis penitus eximimus³⁰ et dimittimus, ita ut, absque patrie potestatis obtentu, possitis testari ex nunc agere, contrahere, pacisci et omnia alia singula, tam in iudicio quam extra, facere ac libere exercere, que quilibet paterfamilias liber homo et sui juris facere et exercere potest. Quamquidem emancipationem factam nos ratam et firmam habere volumus et promittimus et, tamquam Rex Princeps et dominus, nostram in ea auctoritatem etiam impertimur. De hoc autem, ad mandatum dicti domini Regis et memorati domini infantis, factum est presens publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.—Quod est actum etc.

Signum Jacobi dei gratia Regis etc. qui hoc laudamus, concedimus et firmamus.

Signum Infantis ... qui hoc concedimus et firmamus etc.

Testes et clausura debent ordinari, prout instrumentis publicis est fieri consuetum.

LII.—*Renunciatio.*

In Christi nomine. Noverint universi quod nos, Infans... vestri illustrissimi domini domini... Regis... regni primogenitus et jam etiam per vos emancipatus, ffatentes nos excessisse etatem viginti trium annorum, ad eum per quem Reges regnant et quem nosse vivere cuique servire regnare est nostrum dirigentes intuitum, ut ei pura mente servire ipsumque sectari liberius valeamus, quatenus curis et sollicitudinibus corporalibus exuti optimam partem elegisse videamur, que a contemplantibus Christum minime auferetur, idcirco, divina nobis gratia inspirante, licet matrimonium per verba de presenti nuper contraxeribus et in facie ecclesie solempnizaverimus cum inclita infantissa..., illustris bone memorie Regis... regni filia, non tamen inter nos et ipsam infantissam carnalem copulam subsequutam, ad frugem melioris vite suspirantes, quamvis per vos dictum dominum Regem patrem nostrum variis instantiis et minis³¹ inducti ut regni vestri post vestros dies regi-

³⁰ *Eximimus* dice el texto: pero debe tratarse de una errata, por *eximimus*.

³¹ La palabra *minis* está entre líneas y escrita sobre un raspado; por ello, a primera vista parece dudosa su lectura.

men deberemus subire, cum dei spiritui qui nos ad hoc ducit, resistere non possimus, set viam nobis securam et salubrem elegerimus, religionem videlicet profiteri et in ea altissimo famulari, toto tempore vite nostre, ante ipsius religionis ingressum in manibus vestri domini Regis patris nostri predicti jus primogeniture et successionis post vos in regnis et terris vestris, que nunc habetis et in antea obtinebitis, domino concedente, libenti animo, resignamus, ipsique juri cedimus ac renunciamus ex pacto, non obstante quod ad regimen predictum, post dies vestros, per prelatos, nobiles, mesnaderos, milites, infanciones, cives ac homines villarum universitatis regni Aragonum jurati fuerimus ad instantiam et vestri mandatum, ita quod, de cetero, vos dictus dominus Rex pater noster, tanquam nobis ex dicta causa de medio subductis, de dictis regnis et terris vestris, que habetis vel in antea habebitis domino concedente, possitis ordinare et disponere, ut decet et vobis videbitur expedire, nullumque nos deinceps ad ea possimus ex aliquo jure, ratione, vel causa habere regressum. Et, ut hec firmentur robore pleniori, de jure nostro plene certificati, instructi non vi vel dolo inducti, set libera et spontanea voluntate, juramus per crucem domini et sancta dei evangelia, manibus nostris corporaliter tacta, dictam resignationem, cessionem, pactum et renunciationem servare, perpetuo, et eis vel eorum alicui nullo jure, nulla ratione vel causa imperpetuum contraire nullumque ad dictorum regnorum et terrarum, seu partis eorum regimen, aut successionem, jure nostre primogeniture, vel nature, aut alteriuscujusque cause, per nos vel quamcumque personam imposterum habere regressum, absolventes nilominus per presens publicum instrumentum vicem et gerens epistole, gratis et ex certa scientia dictos prelatos, barones, mesnaderos, milites, infanciones, cives et homines villarum regni Aragonum supradicti, presentes et futuros, ab omni juramento et fidelitate nobis prestitis et quibus nobis tenerentur in casum predictum, tanquam primogenito vestro et heredi jurato in dicto regno, ipsosque et eorum quemlibet, qui presentes sunt et absentes tanquam presentes, cum testimonio hujus publici instrumenti vicem etiam gerentis epistole, a predictis quitios appellamus, ipsos insuper regno Aragonum et etiam omnes singulos alios prelatos, barones, milites, cives, homines villarum et alios presentes et futuros Comitatus Barchinone et totius Cathalonie et omnes cujuscumque preheminencie, dignitatis, status aut conditionis existant, qui nobis aliquatenus tenerentur, et pariter etiam omnes de regno Valencie et regnorum aliorum et terrarum aliarumstrarum, habitorum et habendorum, ab omni jure debito ac naturalitate et fidelitate, quibus nobis, ut primogenito, quocumque tempore tenerentur, absolvimus universaliter singulos et singulariter universos et quitios appellamus, ita quod, amodo, vestri dicti domini Regis patris nostri ordinationem seu dispositionem, quamcumque de dictis regnis et terris et juribus quibuscumque feceritis, ut decet et vobis videbitur

expedire, servent et teneant, predictis juramento et fidelitate quod nobis dicti de regno Aragonum, ut predicatur, fecerunt et alii juribus aliquibus teneantur ut primogenito et heredi in dictis regnis post vos, non obstantibus ullo modo, primitentes nilominus per solempnem stipulationem notario suprascripto recipienti pro personis quibuslibet et earum qualibet, quarum interest et interesse potest aut poterit quoquomodo, et sub virtute supra per nos prestiti juramenti, predicta omnia et singula servare perpetuo et eis nullatenus contraire ratione minoris etatis, seu aliquo jure, ratione, vel causa, renunciantes omni foro, usatico, statutis, consuetudinibus, constitutionibus, usibus seu usantiis, et omni exceptioni seu juris auxilio, et omni juri canonico et civili, consuetudinario seu municipali, statuto seu statuendo, scripto vel non scripto, que nos contra premissa vel premissorum aliqua possent in aliquo adjuvare. Ad hec nos... dei gratia Rex predictus, consideratis causis per vos dictum Infantem... supra expressis, que firmo et irrevocabili proposito vestro videmus animo insidere, licet, ut premititur, ad inducendum vos ut regnaretis post dies nostros totis conatibus et affectionibus nostris duxerimus insistendum, cum non possimus nec debeamus inspirationi seu ordinationi divine, qua ducimini, resistere, seu etiam obviare, recipientes a vobis resignationem, renunciationem, cessionem et pactum predicta, eisdem et singulis tamquam Rex princeps et dominus auctoritatem nostram impendimus et decretum. De predictis autem, de mandato dicti domini Regis et memorati domini infantis..., factum est hoc presens publicum instrumentum per me notarium infrascriptum. Quod est actum etc.

Debet poni signa Regis et infantis atque notarii testesque debent ordinari, ut in instrumentis fieri est usitatum.

LIII.—*Procuratio generalis.*

Alfonsus etc. Universis et singulis prelatibus, religiosis, comitibus, vicecomitibus, baronibus, mesnaderiis, militibus, civibus, hominibus villarum et aliis omnibus et singulis in regnis et terris nostris Aragonum, Valencie, Sardinie et Corsice ac Cathalonie constitutis, salutem etc. Inter ceteras sollicitudinis nostre curas, quas diligenti meditatione revolvimus, causa nobis occurrit precipua, per quam divine gratie complacentes subiectorum comoda procuremus. Considerantes si quidem quod nostris fidelibus specialis dilectionis affectum nequimus evidencioribus signis hostendere, quam si de filiis nostris ad generalis procurationis officium preferamus, inter quos inclitum infantem Petrum lexitimum primogenitum nostrum, post dies nostros in regnis et terris ipsis deo proposito regnaturum, ad hoc conspicimus aptum esse, ideo, de

ipsius infantis industria confidentes, eum in dictorum regnorum et terrarum nostrarum generalem procuratorem preficimus prefectumque vobis nunciamus cum nostrarum presentium testimonio litterarum, ordinantes et concedentes eidem ut omnes cause, tam civiles quam criminales, tam principales quam appellationum mote et movende in regnis et terris predictis, possint in ipsius auditorio audiri, examinari ac etiam diffiniri, tam per iudices ordinarios curie sue per nos deputatos quam per delegatos ab ipso, et quod tam a vices gerentibus ejus ac suprajunctariis, çalmedinis, merinis, justitiis, vicariis, bajulis et aliis nostris officialibus universis, quocumque nomine censeantur, nec non iudicibus ordinariis seu delegatis a nobis, vel aliis quibuscumque, per quascumque personas ad ipsum infantem Petrum licite valeat appellari, ita etiam quod, si a predictis vel aliquo predictorum ad nos fuerit appellatum, nobis absentibus ab ipsa provincia in qua appellatum fuerit et in qua idem infans presens extiterit, easdem appellationes ad ipsius infantis consistorium devolvantur ipseque possit cognoscere vel cognosci facere de eisdem, aliter appellationes ipse ad curie nostre devolvantur examen, retentis et reservatis curie nostre appellationibus a quibuscumque personis tam ab eo quam iudicibus curie sue interponendis; appellationes vero, que a delegatis ab eo ad nos fieri contingerit, ad eundem infantem, dum nos presentes non fuerimus in provincia in qua fuerit appellatum et ipse infans in ea presens fuerit, ad ipsum infantem similiter devolvantur, quodque idem infans, tam per se ejusque vices gerentes quam per iudices ordinarios vel delegatos ab ipso, possit inquirere et punire scelera, crimina seu delicta ac facinerosos animadvertere eosque penis debitis, prout expedire viderit, subjugare; possit etiam potestates castrorum et aliorum feudorum, que pro nobis tenentur in regnis et terris predictis, petere, recipere et ex justa causa, si fuerit, retinere ac receptas restituere feudaque ipsa emparare et emparata tenere et absolvere, prout justitia suadebit; possit insuper, exercitus et cavalcatas, tam a ffeudatariis nostris quam aliis quibuscumque regnorum et terrarum predictarum, pro parte nostra indicere eosque exercitus ducere, vel aliis ducendis comittere et non euntes punire, prout sibi videbitur expedire; possit quoque alium vel alios vices gerentes loco sui de nostro beneplacito, quo ad ipsum procurationis officium exercendum et alia, in regis et terris ipsis semel et pluries sub se constituere, vel deputare, et constitutos seu deputatos ab eo destituere et revocare ac officium et officia ipsa in se resumere aliisque comittere, totiens quotiens eidem expedire videbitur et sue placuerit voluntati, et generaliter omnia alia facere exsequi et complere, que ad honorem et servicium nostrum bonum statum regnorum et terrarum predictarum et conservationem ac tuitionem seu petitionem jurisdictionis et jurium nostrorum et executionem justitie noscantur pertinere queque nos super hiis possemus personaliter constituti. Nos, ex certa scientia ac de plenitudine nostre regie potestatis, defectum etatis hu-

jusmodi supplemus tenore presentium tanquam princeps, statuentes quod, eo non obstante defectu, idem infans in iudicio et extra, quacumque exceptione cessante, omnia et singula supra per nos sibi comissa valeat plenarie exercere, decernentes queque per eum agenda, procuranda et exercenda fuere, plena gaudere roboris firmitate, ac si in legitima et perfecta etate constitutus ea egisset, exercuisset, sive etiam procurasset et prout si per nos acta personaliter extitissent. Quo circa vobis et unicuique vestrum dicimus et mandamus, firmiter et expresse, quatenus eidem infanti... legitimo primogenito nostro ejusque jussionibus et preceptis obediatis et pareatis in premissis omnibus, sicut nobis, et hoc aliquatenus non mutetis, sicuti? de nostra confiditis gratia vel amore, nos enim, dicto infanti super premissis universis et singulis comittimus plenarie vices nostras, presentibus commissione atque mandato de nostro beneplacito duraturis. In cuius rei testimonium etc. Datum etc.

LIV.—*Archiepiscopo super eodem.*

Regalis officii sollicita cura nos excitat laboresque mentales et corporales voluntarie et gratis aspiciamus, ut universe gentes et populi a domino nobis traditi gubernandi, una cum regnis et terris nobis subditis, in via recta justitie fundamento firmata, sub juris et tranquillitatis dulcedine, in quo si quidem, cum sic esse conspiciamus, sensus nostri mirabiliter delectantur; super hoc autem, utilius ordinando, recolimus nos jam dudum, dum generalis procurationis officioungebamur, inclitum infantem... primogenitum nostrum legitimum post dies nostros in regnis et terris ipsis deo proposito regnaturum, sicuti jam credimus ad vestram notitiam pervenisse, in generalem procuratorem omnium regnorum et terrarum nostrarum salubriter ordinasse, set quia etas ipsius infantis tenera non sinebat eum magnis laboribus implicari, ipsum procurationis officium per quosdam ejus vices gerentes huc usque providimus exercendum. Sane, quamquam idem infans in minori de presenti etate constitutus existat nosque defectum etatis ipsius supplendum ex certa scientia duxerimus tanquam princeps ipsumque in generalem procuratorem dictorum regnorum et terrarum, provisa deliberatione, duxerimus statuendum cum carta nostra, ut in ea plenius continetur, id circo vobis requirimus vobisque dicimus et mandamus quatenus jam dicto infanti Petro, ut legitimo primogenito et generali procuratori nostro, reverenter et efficaciter pareatis et obediatis in omnibus ac etiam attendatis. Datum etc.

LV.—*Procuratio.*

Noverint universi quod nos Alfonsus etc. Tenore presentis scripti, facimus, ordinamus et loco nostri substituimus certum et specialem procuratorem nostrum vos inclitum infantem..., legitimum fratrem nostrum,

...comitem, ad presentandum vos, nomine, loco et pro parte nostra, ante sacram presentiam sanctissimi in Christo patris et domini domini Iohannis divina providencia sacrosante romane et universalis Ecclesie Summi Pontificis, et ad presentandum, loco, nomine et pro parte nostra, tamquam regis Sardinie et Corsice, dicto domino Summo pontifici, si ipse dominus Summus Pontifex hoc nobis, hac vice, grosse duxerit concedendum, homagium, vassalagium et fidelitatis juramentum, que nos juxta tenorem rescripti apostolici super donatione dicti Regni Sardinie et Corsice confecti tenemur personaliter facere et prestare, et ad dandum etiam dicto domino summo Pontifici et Rome Ecclesie loco, nomine et vice nostris, litteras nostras patentes bulla nostra aurea bullatas, confectas super acceptatione convencionum et aliarum conditionum, sub quibus dictum Sardinie et Corsice regnum serenissimo domino... Regi Aragonum felicis memorie genitori nostro et suis imperpetuum ad feudum collatum extitit et concessum, et ad postulandum et recipiendum de acceptatione prestationis homagii, vassallagii, fidelitatis et juramenti predictorum et de datione dictarum litterarum nostrarum rescriptum seu rescripta papalia, aut alia publica instrumenta, in eternam certitudinem, memoriam et testimonium premissorum. Nos autem vobis in hiis plenarie comittimus vices nostras ratum et gratum habituri perpetuo quicquid per vos actum fuerit in premissis et quolibet eorumdem; in evidenciam cujus rei presens rescriptum per nostrum scriptorem et notarium infrascriptum inde fieri et magestatis nostre sigillo appendicio jussimus comuniri. Datum etc.

LVI.—*Donatio.*

Noverint universi quod nos... Rex etc. Dignum et debitum arbitran-tes ut illos regalis clementia congruis munificencie premiis prosequa-tur, qui, virtute constantie et fidelitatis decore conspicui, ob acceptabi-lem obsequiorum prestatio exhibita ³² et que in futurum prestabitis, dante domino potiora, damus et concedimus, perfecta et irrevocabili do-natione inter vivos, vobis dicto... et vestris perpetuo in feudum, se-cundum... consuetudinem, tot mille solidos quolibet anno imperpetuum, super ... villa sita in tali loc, ex nunc ut ex tunc et extunc ut ex nunc, vos dictum ... in possessionem habendi et tenendi dictam villam et percipiendi ejus redditus inducimus liceatque vobis et vestris predicta tot millia solidorum dare, impignorare, vendere, alienare, excambiare aliasque vestras et vestrorum voluntates libere comodolibet facere, ffa-tica XXX dierum nobis et nostris super hoc retenta in villa superius expresata, eo casu quo per vos vel vestros dicti tot solidi venderentur. Et ut predicta maiori gaudeant firmitate juramus etc, si fit per juramen-tum sin ³³ autem. Mandantes per presentem cartam nostram bajulo nos-

³² Por *prestationem exhibitam.*

³³ Puede leerse también *sui.*

tro ... loci ..., sive ... nostro officiali quod vobis aut vestris, aut cui, seu quibus volueritis non apponant obstaculum super habendis et colligendis per vos seu officiales vestros predictos tot solidos, immo permittat eos per vos et vestros officiales libere et absque aliquo obstaculo et impedimento recipi, colligi et levari. Mandantes insuper hominibus dicte ville, quam vobis cum presenti damus, ut superius continetur, quod vobis parcant, respondeant et obediant de omnibus quibus nobis respondere, parere et obedire tenebantur ante hujusmodi donationem et concessionem nostram, salvo, in hiis, dominio, fatica et omni jurisdictione ac proprietate ipsius ville et terminorum suorum. Mandantes itaque universis et singulis officialibus nostris, presentibus et futuris, quod presentem donationem vobis observent et faciant inviolabiliter observari et non contraveniant nec aliquem contravenire permitant aliqua ratione. In cujus rei testimonium etc. Datum etc. Ponantur signum et testes.

Si autem dominus Rex dat donationem pretactam ad violarium, prout dicitur, imperpetuum, dicatur ad vitam illius cui fiet donatio. Si autem dat illi cui fiet donatio, denarios, dicatur ut patet in pagina nunc presenti. Nos Rex, obtentu servitorum per vos nobis impensorum, cum presenti damus et concedimus vobis dicto ... in auxilium empcionis, quam fecitis de ... re, tot mille solidos ... monete, quos promittimus vobis? ³⁴ ex solvere vel cui volueritis loco vestri, ... die et ... anno, in cujus rei testimonium etc Datum etc.

LVII.—*De protectione et predicatione conversorum.*

Alfonsus etc. Dilectis et fidelibus nostris ... et ... et aliis officialibus etc. Adhuc summi dispensatione Consilii tronum regie dignitatis ascendimus et regnorum atque terrarum, quibus, actore domino, possidemus, ut, si ad alia extrinseca debita sollicitudo nos provocet, ad ea tamen que tangunt Catholice incrementum, tanto ferventibus intendamus quanto acceptius in domino Ihesu Christo impertimur obsequium, a quo fides nostra sumpsit exordium et a quo regie magestatis recognoscimus principatum. Sane Magister ..., lator presentium, nobis exposuit reverenter quod, cum ipse a judayca gente trahens originem in eorum perfidia diutius perstitisset et illorum prepositus et Magister longe fuisset, illorum obumbratione seductus, prius quam agnosceret Deum, lucis quodam spiritu qui ubi vult spirat in ipsum divinitus inspirante, sic cum sacro flamine illustravit, que ex tanta cecitatis abiciens et cor carniurn induens ab infidelitatis errore discesserit per sancte regenerationis lavaerum ad vere fidei rediens veritatem; verum cum fidei meritum quam agnovit intendat proponere verbum dei, ut salutaria mo-

34 Claramente se lee en el texto la palabra *nobis*; pero debe ser *vobis*.

nita, a cordibus eorumdem totius superstitionis expulsa caligine, illi ad lucis semita³⁵ reducantur, nobis humiliter supplicaverit ut circa hoc dignamur eundem congruis fulciri favoribus et auxilii nostri plenitudinem impertiri, propterea, cum ex literis reverendi in Christo patris ... Episcopi constare noscatur ... Summum pontificem et alios prelatos prefatum ... vel ut scientie preditum et in divina lege peritum circa predicationem premissa et alia necessaria plures indulgentias concessisse, id circo vobis et vestrum cuilibet, districte precipiendo, mandamus quatenus predictum ... et conversos adherentes eidem ipsiusque familiam et personas et bonorum manu tenendo et defendendo in jure ac benigne recipiendo et tractando, eosdem non permitatis ab aliquo in persona vel bonis offendi, injuriari, gravari, vel eis aliquod dampnum vel malum inferri, seu violentiam irrogari nec eis in modum contumelie sive blasphemie dici ab aliquo vel proferri verba injurie vel opprobrii, ne conversi ob tantum convitium, quod potius verteretur in fidei detrimentum, a sua conversatione laudabili resipiscant vel a tam sancto proposito retrahantur. Et nilominus cum dictus ..., qui conversationem desiderat eorumdem, voluerit ipsis judeis vel sarracenis verbum Dei proponere vel illis predicando lumen fidei declarare, cogatis et faciatis ipsos judeos et sarracenos loco et tempore congruis, presentibus prelatibus vel clericis, coram eo venire et in simul congregari, ut ex semine verbi Dei ab eo prolata ad salutem animarum fructi intera? cogitatione lumen de lumine videant et ad veritatis viam priori veste pestifera convertantur, non obstantibus aliquibus privilegiis seu gratiis regiis ipsis judeis vel sarracenis indultis, per que asserant vel intendant ne ad hujusmodi predicationem accedere teneantur, cum in eis, que in fidei detrimentum et salutis eorum vergunt dispendium, nolimus eisdem aliquatenus suffragari. Si vero aliquis contra justitiam et contra preceptum nostrum hujus modi predictum ..., conversos et adherentes eidem vel ejus familiam in personis vel bonis verbo vel facto injuriari, gravare, offendere, vel injuriam aut blasphemiam in eorum vel fidei diminutionem facere vel inferre presumpserit, contra hujusmodi transgressores, previa justitia, procedatis eosque curetis penis legitimis coercere, quod pena eis inflictam culpam commissam totaliter abluat et aliis similia presumendi materiam interdicat. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

LVIII.—*Responsiva.*

Alfonsus etc. Egregio viro ... salutem etc. Solita benignitate recepimus litteras, quas nostro noviter regali culmini destinastis, quarum series ideo brevi narrationi transcurramus, cum satis in eis contenta in subnexis responsionibus concludamus, et siquidem quia ex collatis vobis et egregio viro ... primogenito vestro militi et consiliario nostro grossis honoribus, non absque jocunditate multiplici nobis reverenter gratiarum reffeceritis

35 Per *semitam*.

actiones, prout prior vestra littera innuebat, vobis ducimus respondendum quod, dum ad grata et inmensa servicia per vos nobis exhibita et ad sincere fidelitatis et dilectionis constantiam, quam ad nos vestra nobilitas gerere comprobatur queque vos regiis affectibus impresserunt, regalem sollicitudinem vertimus, non extitit in exhibitione honoris facta dicto nobili nato vestro, prout intensum animi nostri desiderium apetebat votis nostris pro libito satisfactum, cum tanto vos reputemus potiori honorificentia digniorem quanto per amplius promerentur et ex hoc exigere dinoscuntur vestro affluencie meritorum, set sic, actore domino, quod per felicis nostra coronationis solemnia et alia ardua tunc occurrentia distracti multum ommisimus, altamente intendimus compensare, quod gaudebitis merito nostris obsequiis adhesisse. Ad secundam vero litteram iniquos tractatus ... et ..., eorum nequam propositum ac penam dicto ... inflictam et quedam alia, de quibus infra subicitur, continentem, propositum nostrum vobis rescribimus quod, licet in puniendis subditorum excessibus sint adeo justitie limites observandi ne ab ea contra juris debitum devietur, quia tamen inclita domus ... regni, que in suis processibus pietatis et misericordie lenimenta non deserit, in inflictione penarum rigori preferri mansuetudinem mansuevit, nos gloriosum vindicte genus pensantes ignoscere subditis et eorum iudicium moderari, et quia virtus³⁶ clementie ad dominorum affectum efficacius subditos atrahit et inducit, haberemus pro bono et equo nobisque gratum et acceptum occurret, presertim, cum nec illorum nequitia cinsum attingerit preconceptum, ut circa predictos quorum impensa nobis servicia nobis ad miserendum eosdem clementer invitate?, sicut hoc consonat votis vestris, extenuaretur rigor justitie et preferretur benigni ulcioni; nos autem, in casu quo vos velitis predictis peccantibus indulgere omnem penam, quam pro commissis meruerunt, ex nunc pro tunc eis misericorditer relaxamus nec litteris per dictum ... vel alium nostro sigillo confectis fidem stabilem regia serenitas adhibebit, immo sicut nobis scripsistis nos habebimus in premisis. Tercie vero littere, que negotium ... sub compendio continebant breviter respondemus quam nullam super predictis recepimus a venerabili set, quia vos scribitis, vos in brevi super eo nostre magestatis beneplacitum effectualiter impleturum credimus quod taliter vos habebitis super eis quod inde poterimus merito contentari. Demum, quia matrimonium nobilis ... dicto nato vestro directe prospeximus, id ad effectum perduximus, rogantes ut erga nobilem ipsam, que propter impensum sibi honorem a vobis gratiarum multiplices actiones nobis reverenter exsolvit, vicem genitoris illam paternis fovendo solaciis et honoribus compensatis. Datum etc.

36 Podría leerse también *utrius*; pero queda mejor el sentido con *virtus*.

LIX.—*Regi compescenda guerra.*

Inter cetera, que regimini nostro incumbere noscimus, illud potissime? ³⁷ providencie regie spectare pensamus, quod sic per viam justitie subditorum conatus temerarios reprimamus, ne minores a potentioribus opprimantur. Hinc est quod, sicut magnificentiam nostram lattere non credimus nostroque crebrius ³⁸ auditui est deductum, nobilis ... in insula Sicilie et nobilis ... in insula Sardinie et familiares ac domestici utriusque, sub colore guerre, quam extra Cathaloniam se asserunt posse facere et habere, propter dissensionem habitam inter eos, subditos nostros et naturales regnorum et terrarum nostrarum nequiter interficiunt et indifferenter lacerant et detruncant, licet ab ipsa dissensione innocentes existant, quod in divine magestatis offensam et in nostre dispendium et contemptum ³⁹ noscitur redundare. Sane, ne prefati nobiles et alii de eorum familiis in gentem nostram strages hujusmodi perpetrent de cetero, aut comitant, matura deliberatione habita super hiis, predicta Excellentie vestre providimus intimanda, rogantes ac etiam requirentes eandem quot dictum nobilem ... et alios de familia seu parte ipsius, ab eisdem excessibus in subditos et naturales nostros predictos, ut predicatur, comitendis, compescere velit vestra serenitas ex debito justitie ac nostri honoris respectu, aliter, cum talia pati nullatenus debeamus, adversus eosdem et bona eorum infra terras et regna nostra sistencia condigna animadversione procedemus aliisque super hiis remediis providebimus opportunis. Nos enim dictis nobilebus, super premissis, nostras litteras duximus destinandas. Datum etc.

LX.—*Super eodem.*

In exercicio comissi nobis ab alto regiminis id proponimus idque agi et perfici sollicita meditatione pensamus, per quod placemus Altissimo, per quod etiam populi nobis subditi a divinis beneplacitis non oberrent, quinimo, si forsan antiqui hostis astutia non nullos ex ipsis ad innum ⁴⁰ erroris perduxerit, per regalis officii providenciam ad rectitudinis semitam reducantur. Hinc est quod, sicut crebrius nostris personuit auribus, vos nec non familiares et domestici vestri in insula Sicilie et nobilis ... familiares et domestici ejus in insula Sardinie, diabolico spiritu instigante, sub colore guerre, quam ex dissensione prehabita inter vos et nobiles ... et ... ad invicem extra Cathaloniam asseritis vos habere, subditos nostros et naturales regnorum et terrarum nostrarum ad partes ipsas declinantes per strages corporum et dispendia honorum multipliciter agravatis, quamquam dicti nostri subditi nullam causam nullumque assensum in

³⁷ Sobre la supuesta sílaba *ti* hay una mancha; se pueden leer perfectamente todas las restantes letras. Por eso transcribo *potissime*.

³⁸ Por *crebrius*.

³⁹ Por *contemptum*.

⁴⁰ Por *inum* (fondo, bajo, profundo).

dissensione prestiterint supradicta, quod in divine Magestatis offensam et jurisdictionis nostre contemptum redumdare dinoscitur ac ipsorum subditorum maximum nocumentum. Nos itaque volentes tam illicitis et inhonestis obviare conatibus, ne tanti sceleris crimina in nostris subditis et naturalibus amodo in dictis partibus inferantur, ideo, habito maturo consilio et deliberatione plenaria super hiis, vobis districte precipimus firmiter injungentes sub nostre indignationis incursu quatenus a prefatis necibus et etiam a quocumque illicito gravamine dictorum subditorum nostrorum penitus desistatis aliosque familiares et domesticos vestros ac quoscumque alios de parte vestra desisti penitus faciatis, aliter, si contra fieret, quod non credimus, tenete pro firmo quod adversus personam et bona vestra tam acriter procedemus, quod vos adversus nos et nostros habere contemptibiliter merito penitebit, et quod ceteri subditi nostri, strages et neces hujusmodi in subditos et naturales nostros indebite ac in contemptum jurisdictionis nostre comittere proponentes, dire ulcionis nostre exemplo a talibus compescentur; scire et enim vos volumus quod nos per alias litteras nostras dictis nobiles ... et ... simile facimus mandamentum. Datum etc.

LXI.—*Super eodem.*

Scientes vos erga tranquillum et prosperum statum insule Sardinie precordialiter affectari que ab opposito possent succedere vobis presentibus cupimus intimare, nam sicut nostro noviter titillavit auditui, non nulli tam equites quam pedites, familiares et domestici nobilis ..., sub specie et dissimulatione serviendi vobis et vestri recipiendi stipendium ab insula Sicilie ad insulam Sardinie, pro inferendo dampno seu malo nobili ... seu ejus familie, transffretarunt. Sane indemnitatibus et periculis dicte insule Sardinie et incolarum ipsius, in quorum prosperitate utique prosperamur, occurrere cupientes, vos requirimus et attente rogamus quatenus, si aliquid perpendere poteritis ex predictis, eosdem equites et pedites a dicto vestro servicio expellatis, sicut ad comodum et augmentum dicte insule afficimini nostreque magestatis beneplacita, prout fecistis hactenus, cupitis adipisci. Nos enim dissensionem ... et ... providere intendimus modis et viis debitis ac etiam opportunis. Datum etc.

LXII.—*Gubernatori super eodem.*

Non absque mentis nostre comocione multiplici nostris auribus est deductum quod, inter nobiles ... et ... hostili suborta discordia et hinc inde diffidatione premissa, alter adversus alterum suos ubique nititur exercere conatus et non solum familiares atque domesticos eorundem set alios adherentes utrique quilibet ipsorum velut capitales insequitur

inimicos, ex quo medum ⁴¹ non nulli ex domesticis utriusque set aliqui ex subditis nostris, credendo esse de familia predictorum, fuerunt nequiter interempti; pridem etiam ista de causa ... scutifer dicti nobilis ..., dum ad nos cum litteris illustris ... Regis de partibus Sicilie miteretur in insula Sardinie, per aliquos de familia dicti ..., sicut dicitur, extitit interfectus. Nos vero hujusmodi discordiam, que etiam in subditis nostris, ut est dictum, convertitur, habentes et merito multipliciter odiosam vobis sub pena nostre gratie et mercedis districte precipiendo mandamus quatenus contra illos, qui dictum ..., ut dicitur, occiderunt, fortiter procedendo nullatenus sustineatis, immo studeatis fortiter cohibere, ne in regno nostro Sardinie perniciosa consuetudo Cathalonie super guerris et insultibus exercendis quomodolibet inoleat, ne permitatis aliquos se guerrarum discrimini imiscere, sciturus quod si, quod absit, contra faceretis, nobis plurimum displiceret et, cum ex eo totum regnum variis exponeretur periculis et ruinis, proinde vos graviter puniremus. Datum etc.

LXIII.—*De non immitendo vino in aliquo loco.*

Sollicite more regio circa comoda subditorum illas eis libenter concedimus gratias, quas eorum utilitatibus cognoscimus oportunas. Attendentes itaque quod in civitate nostra ... et ejus termino sic est fertilis copia vinnarum et vini quod, si de aliis partibus vinum immitteretur ibidem, incolas civitatis predictae hujusmodi copia faceret inopes et emolumentum vini proprii eos redderent prorsus expertos, ideo cum presenti carta nostra perpetuo valitura ordinamus, statuimus et sancimus ⁴² quod nulla persona, cujuscumque status aut conditionis existat, audeat de cetero vel presumat ad dictam civitatem vel ejus districtum aliunde vinum vel vindemiam portare, vel immittere, nisi dumtaxat illum vel illam, quod vel que in dicta civitate, vel ejus districtu, vel termino producentur, quodque nullus ex officialibus nostris super hoc alicui possit facere gratiam vel amorem. Nos enim universis officialibus nostris concedendis super hoc aliquam facultatem adimentes omnimodam potestatem alienum vinum vel vindemiam ad dictam civitatem vel ejus districtum portantibus, vel mittentibus, penam amissionis vini vel vindemie nostro acquirendorum erario imponimus per presentes. Si tamen casus acciderit quod alienum vinum esset inibi necessarium, concedimus quod vicarius, simul cum consiliariis civitatis predictae, in casu necessitatis possint statutum relaxare predictum et super hoc ordinare quod ad utilitatem civitatis ipsius eis videbitur expedire. Nos enim promittimus et juramus per Deum et ejus sancta quatuor evangelia, corporaliter per nos tacta, quod premissa servabimus etc. Mandantes officialibus etc.

⁴¹ Por *nedum*.

⁴² ¿Por *sancimus*?

quod premissa observent etc. In cuius rei testimonium etc. Datum etc. Signum etc. Testes etc.

LXIV.—*Thesaurario.*

Exhibuit et ostendit in cancellaria nostra ... quoddam instrumentum publicum apoche confectum per ... notarium, ... die et ... anno, in quo nobilis ... confessus fuit et recognovit vos sibi solvisse et pro eo dicto ..., qui ipsos sibi grosse concessit ... solidos ... monete, ex illis ... solidis dicte monete dicto nibili debitis, per curiam nostram cum quodam albarano ... magistri rationalis sibi facto in ... loco, ... die et anno, et qui ... solidi scripti fuerunt pro deductis per manum dicti notarii in dorso albarani predicti, ubi nulla alia solutio scripta erat, prout hec et alia in dicto instrumento latius continebantur. Verum cum de dictis ... solidis nihil ex solutum fuerit, ut nobis constat per resignationem dicti instrumenti nunc in cancellaria nostra restituti et inibi pro cautela curie lacerati, ea propter, vobis dicimus et mandamus quatenus de pecunia curie nostre, que est vel erit penes vos, tribuatis et solvatis jam dicto ..., vel cui voluerit loco sui, ... solidos supradictos et, facta solutione, presentem recuperetis litteram et apocham de soluto. Datum etc.

LXV.—*Comuni.*

Hec non immerito nostra regalis clemencia unde vestre sinceritatis constantiam, quam ad nos et inclitam domum nostram vestra devotio gerere comprobatur, digne laudis preconio et uberum gratiarum actionibus prosequatur, dum preter alia puritatis insignia, quibus vos nostri honoris audivimus zelatores, illud precipue votis nostris accessit gratissimum, quod aliqui januenses raptores, seu eos, aut alios improbos piraticam exercentes et fidelibus subditis nostris inferre dispendia molientes in locis vel districtibus vestris receptare ac eis favorem, aut succursum, impendere denegastis, quinimmo, cum non nulli ex nostris fidelibus a dictis januensibus et piratis graves recepissent percussiones, offensas, vulnera et jacturas, vos, erga honorem nostrum motu proprio excitati, illis victum, indumenta, pecuniam et alia eis necessaria procurando, benigne ipsos et honorifice pertractastis, bone voluntatis indicia quam erga nos geritis pretendendo in nostris. Sane, cum domino cedat ad gloriam quicquid uni ex minimis ejus prona ipsius domini devotione confertur, vobis proinde regalis nostri favoris gratiam liberaliter pollicemur, devotionem vestram affectuose rogantes quatenus dictos januenses vel piratas, aut alios subditis nostris volentes inferre gravamina, nullatenus receptetis et fideles nostros et subditos in locis et districtibus vestris, more solito, favorabiliter foveatis; nos enim mandamus per alias litteras nostras gubernatori et officialibus nostris insule Sardinie quod in ea vos affectibus gratis recipiant et ut speciales nostros amicos hono-

rifice procurent et tractent et opportunis favoribus prosequantur. Super quibus, dilectum militem et familiarem nostrum ..., voluntatis nostre plene instructum, ad vos decrevimus destinandum, cui devotio vestra credat super hiis, que pro parte nostra vobis retulerit viva voce. Datum etc.

LXVI.—*Responsiva universitati.*

Missus dudum ad nostram presentiam pro parte vestra fideles nostros ... et ..., concives vestros, benigne recepimus, et ea, que pro parte vestra nobis oretenus retulerunt, pleno collegimus intellectu. Sane, quia novam plantationem civitatis predictæ, quam odorem agri pleni persensimus, ipsorum nunciorum relatio, ut illorum qui tamquam providi atque solliciti in sue legationis officio se diligenter ac laudabiliter habuerunt, nobis grata extitit multipliciter et accepta; et ideo, intendentes quod sic regalium affluentia gratiarum augmentis continuis prosequantur, quod vobis cedant ad gaudium et exteros atrahat ad sua ibidem domicilia transferendum, omnes illas largitiones et gratias, quas dicti nuncii postularunt a nobis quasque vidimus tam rei publice civitatis predictæ quod singularibus opportunas, gratis affectibus duximus concedendas, prout dicti ... et ... vobis serius referre viva voce et in nostris regalibus privilegiis eis traditis plenius videbitis contineri. Super aliis vero ab eis pro parte vestra petitis quedam moderavimus, quedam vero ad equitatem reduximus et quedam rationabiliter ad presens duximus deneganda. Igitur predictis nunciis vestris, super premissis, fidem credulam adhibendo, spem firmam concipite quod sic nos in posterum opportunis et grossis favoribus curabimus insignire, quod in civitate predicta vestras merito mansiones gaudebitis elegisse. Demum, quia propter varia et ardua negotia, que hactenus regio culmini occurrerunt, eorum expedicio usque nunc extitit retardata, nec ipsorum nunciorum culpe, vel necligentie, que nulla rationabiliter eis potest impingui, set agendorum multitudinè ascribatis. Datum etc.

LXVII.—*Super levandis denariis in aliquo ponte.*

Attendentes quod, in ... loco, in ... rivo, in quo barcha esse consueverat, pons lapideus inibi ad honorem Dei construitur, seu edificatur, per quem itinerantes possint transire absque periculo personarum et rerum suarum, qui quidem pons non posset comode perfici sine itinerantium et per dictum locum transitum facientium auxilio, id circo, ad perfectionem et expeditionem pontis jam dicti et ut gentes dicti loci et aliarum terrarum possint absque aliquo periculo inibi pertransire, tenore presentium constituimus, sive etiam ordinamus quod itinerantes, seu per ipsum locum transitum facientes, solvant operariis statutis in ponte predicto collectam inferius declaratam, videlicet, quilibet pedes unum obulum jaccensem et quilibet equitator cum coterio, seu homine suo, unum

denarium jaccensem; item pro animali onerato cum suo ductore solvatur unus denarius; item, pro aliis animalibus grossis et non oneratis solvatur obulus. Quam quidem collectam durare volumus per quinque annos tantum a data presentim numerandos et non ultra, nisi dictum tempus per nos fuerit prorogatum; volumus insuper quod in auxilium dicti pontis recipiant, sive exigant, pecuniam supradictam, quod consueverunt ex solvere annis singulis persone aliquae pro transitu dicte brache ⁴³. dum tamen barcha ibi sit, durante opere pontis predicti, de quibus omnibus et aliis per eum receptis occasione operis supradicti teneantur computare annis singulis cum ... consiliario nostro et hostendere id quod per ipsos operarios receptum fuerit et positum in opere supradicto. Mandantes per presentes bajulo dicte ville vel ejus locum tenenti aliisque officialibus nostris ut predictos, qui dicte barche certum quid dare consueverant, nec non transeuntes per dictum locum, seu ejus terminum, sive ad pontem, sive ad vadum inde transitum fecerint, compellant fortiter ad solvendum collectam predictam et alia que consueverunt exsolvere per tempus superius expressatum. Datum etc.

LXVIII.—*De recomendatione.*

Ex nexu nativi federis quo invicem jungimur vehementer appetimus ut, sicut nostri naturales et subditi, naturali debito suadente, ad nostra ferventer haspirant obsequia, sic fideliter astringantur ad vestra ut, dum ydemptitatem animorum et generis utriusque pensaverint, impensa vobis servicia nobis prestita rescognoscant; hinc est quod, cum dilectus domesticus et familiaris noster ..., quem ob ejus strenuam probitatem et alia merita comendanda grosse prosequimur, ferventi ducatur affectu vestris serviciis adherere et, propterea, non vitatis laboribus et expensis, ad vestram presentiam nunc accedat, id circo Excellentiam regiam intimis affectibus deprecamur quatenus ob honorem nostri, quibus illius accessus propter nostra servicia occurrit multum acceptus, placeat ipsum, ejus conditione pensata, benigne admittere ac de domo et familia vestra sub stipendio decenti recipere eumque pro tempore officii et beneficiis congruis promovere. Hoc autem nobis plurimum complacebit et alios consimiles ad vestra servicia ferventibus animabit, nosque, qui vestri contemplatione honoris favorem per vos sibi impensum tenemus, hoc regraciabimur vobis multum. Datum etc.

LXIX.—*Super eodem.*

Ex sanguinis nexu et amoris affectu, quo invicem jungimur, nobis occurrit acceptum, cum nostri naturales et subditi studio devotionis et fidei vestris affectant obsequiis inherere, servicia vobis prestita nobis

43 Por *barche*.

exhibita reputantes, ex quo, cum per illos ad vos nostre deprecationis instantia postulatur, libenter intercedimus pro eisdem. Cum itaque dilectus noster ..., qui de generosis parentibus traxit originem, ad regie serenitatis aspirans obsequia, accedere ad partes illas intendat et ad hoc se preparet et accingat nobisque humiliter supplicaverit ut apud magnificentiam regiam pro eo nostre deprecationis instantiam dirigamus, idcirco magnificentiam regiam attente rogamus quatenus, honore nostri et dicti ... probitatis obtentu, placeat ipsum in agendis suis recomendatum habere ipsumque benigne recipere, pro collatis serviciis regie manufficentie premiis confovere occurret; hoc et enif votis nostris acceptum et regraciabimur vobis multum. Datum etc.

LXX.—*De eodem.*

Cum bene meritis pro labore premium naturaliter debeatur et illos etiam pre aliis conveniat honorari, qui continue bonis operibus insudarunt, igitur, cum frater ..., doctor decretorum, actu legentis ordinarie decretales in nostro generali studio Ilerdensi multo tempore nobis ac dicte civitati Ilerde et studentibus in eadem serviverit fideliter, tam legendo, quam consilium impendendo conversationeque condigna vita et moribus ac scientia apud nos repertus fuerit comendatus per eos, qui continue cum eo conversando tam in studiis, quam alibi pluries cognoverunt, unde reputabimus nobis, studio ac civitati predictis ac toti regno nostro, de ejus scientia, consilio et lectura, tamquam de doctore facundissimo plenarie satisfactum; set, quoniam dictus doctor nobis humiliter supplicavit ut, a nobis obtenta licencia, ad vestram magestatem accedere tanquam ad suum dominum naturalem dimittere dignaremur, cum sibi etiam videatur quod ipse ex certis causis apud nos amplius comode non valeat comorari, propter aliqua negotia amicorum suorum ratione expedienda in partibus gallicanis, nos tamen, attendentes ejus presentiam ex causis premissis fore nobis utilem et necessariam, eum hoc anno presentium cum benivolencia tamen vestra duximus retinendum. Quare serenitatem vestram attentius deprecamur quatenus dictum doctorem vestre gratie recomdatum, habentes ei, cum ad vos accesserit, nostri intuitum, et quia ad hoc, suis meritis exigentibus, naturaliter tenemini, sicut dominus servo suo benemerito quadam pietate paterna consetur naturaliter obligatur⁴⁴, providere dignemini juxta condecenciam sui status, scientes quod in casu seu officio, in quo indigebitis homine perito in jure, de eodem vos servire poteritis fideliter et secure. Et quia confidimus quod amore nostri ei aliqua beneficia faciatis, placeat magnitudini vestre, per latorem presentium, de ordinatione, si quam de eo duxeritis faciendam, nobis certum dare responsum. Placeatque magestati vestre quod preces iste non transeant sicut speciales preces solite sunt transire et quod dictus doc-

44 Debe ser *obligatus*.

tor eas sibi sentiat in aliquo profuisse, mandetque nobis vestra magestas si qua voluerit nos facturos. Datum etc.

LXXI.—*Super eodem.*

Ex fervore devotionis et sinceritatis affectu, quem ad fratrum minorum ordinem gerimus, dignum ducimus fratres ipsius ordinis tanquam humiles Christi servos et presertim eidem ordini presidentes grata benivolencia confovere; cum utique frater ..., vicarius fratrum minorum in Sardinia, ad partes illas pro administratione sui officii exequenda noviter intendat accedere et ei sit nostre protectionis subsidium multipliciter opportunum, idcirco vobis et vestrum cuilibet dicimus et expresse mandamus quatenus, ipsum fratrem intime recomendatum habentes, sic eidem assistatis favore, consilio, presidio et auxilio opportunis, quod in dicto regno, tute pariter et quiete, possit dominantium domino dignam impendere servitutem et vos possitis a nobis uberius gratiam promereri. Datum etc.

LXXII.—*De eodem.*

Etsi, generali qua cunctos fideles nostros grata mentis affectione complectimur, non nullos in genere favorabiliter prosequi teneamur, speciales cause verum tamen cogitationibus nostris se offerunt, que ad quorundam in specie promovenda compendia prorogativa quedam multipliciter nos invitate; ex placidis igitur et acceptis serviciis, que per dilectum consiliarium nostrum ..., Archidiaconum ... Ecclesie, et ejus predecessores nobis nostrisque progenitoribus multimode prestitis excitamur, ut penes illos quos nostris beneplacitis favorabiles esse novimus, dirigamus pro eo affectuose preces nostras. Cum itaque, attenta conditione ejusdem Archidiaconi, quem litterarum scientia, morum honestas, generis nobilitas et alia sua laudabilia merita et dona virtutum, quibus insignitus agnoscitur, sibi ad presens in partibus istis de episcopatu seu dignitate ei decenti provideri non possit idemque Archidiaconus vestris affectet inesse serviciis, id circo magnificentiam vestram intente rogamus quatenus, nostre contemplacionis honore et meritorum ejusdem Archidiaconi interventu, habendo ipsum in vestra gratia favorabiliter comendatum, recipiatis eum in vestrum clericum, scribendo per vestras litteras speciales, cum casus evenerit, domino summo Pontifici, ut de episcopatu seu dignitate alia, in regno vestro vaccante, dicto Archidiacono vestris intercessionibus debeat providere, hoc enim nostris erit affectibus valde gratum. Datum etc.

LXXIII.—*Quasi de eodem universis ffidelibus et devotis.*

Significamus vobis quod fidelis noster silvester, quem noviter de domo nostra recepimus, sequendo et exercendo suum officium per diversas mundi partes habet hinc et inde discurrere. Quare universos amicos nos-

tros et devotos affectuose rogamus, aut omnibus et singulis officialibus et subditis districte mandamus quatenus, tractando ipsum militem salvatge et bona sua honore nostri favorabiliter atque bene, non permitatis eidem per quoscumque fieri seu inferri injuriam, prejudicium, seu gravamen, immo ipsum a quibuscumque oppressionibus et offensis manuteneatis ac etiam defendatis. Et, in testimonium premissorum, hanc cartam nostram sibi fieri jusimus nostro sigillo appendicio comunitam. Datum etc.

LXXIV.—*De statu et significacione regie coronationis.*

Pensantes amoris affectum, quem ad nos et regiam domum nostram, nativo federe suadente, habere vos convenit, dignum ducimus ut contingencia domus nostre negotia ad vestram notitiam perducamus. Noveritis igitur quod Excellentissimus princeps et dominus dominus ... clare memorie Rex genitor noster legitimus, ... die, qua celebrabatur generalis comemoratio omnium fidelium defunctorum, in confessione vere fidei ac omnibus ecclesiasticis sacramentis, ut princeps cristianissimus, devote suceptis, ...ora, vite sue cursum, sicut domino placuit, laudabiliter terminabit. Et licet tanti patris et domini transitus non solum nobis set cunctis cristiane religionis cultoribus sic merito deplorandus, acerbi doloris nobis materiam ministrasset, verum, cum ejus finis laudabilis, qua usque ad extremum vite exitum, sano intellectu, ad deum, toto corde, tota mentis affectione, vota sua direxit, nobis consolationis remedium atulit, pie credentes ipsum in sortem justorum misericorditer transivisse, et, ut regia celsitudo, cui onus regiminis incumbibat, decus regium susciperet et honorem, ... die, que festum Pasche seu resurrectionis domini celebratur in Ecclesia, ubi Archiepiscopi et Episcopi, prelati, nobiles et alii ffideles nostri in copiosa multitudine convenerunt, cum magna gloria et applausu, lattere regio, prout veneranda sancivit antiquitas militari cingulo decorare, regalia insignia, universe ceptum et pomum ac regium? ⁴⁵ suscepimus diadema ad salubre regimen populorum nobis ab alto comissum, juxta facultatem nobis comissam divinitus, plenis affectibus intendentes, que omnia vobis significare decernimus, ut per informationem hujusmodi premissorum omnium vos participes faciamus. Datum etc.

LXXV.—*De statu.*

Quia scimus cor vestrum ferventibus votis apetere ut de incolunitate persone nostre vobis placida nuncientur, vobis significamus ad gaudium nos et... legitinam consortem nostram Reginam... ac filios et fratres nostros grata corporum incolunitate letari, id idem de vobis et regia domo nostra ⁴⁶ audire continuis desiderii affectantes. Et ideo magnificenciam vestram attente rogamus quatenus de statu persone vestre et

⁴⁵ Aunque claramente se lee *regnum*, creo debe ser *regium*.

⁴⁶ Por *vestra*.

regie domus vestre, quem dominus conservet incolumen, quotiens opportunum fuerit, nos vestris litteris informetis. Datum etc.

LXXVI.—*Super eodem.*

Scientes firmiter cor vestrum ferventibus votis appetere ut de consistentia status nostri vobis placida referantur, ideo quod ad presens nequimus corporali presentia, supplere volentes ministerio litterarum, vobis significamus ad gaudium quod, superna favente clementia, nos et... consors nostra legitima et filios et fratres nostros votiva sospitate corporum incolumitate gaudemus. Sane, quia sospitatem et consistentiam vestram scire summis affectibus concupimus, fraternam dilectionem vestram ex corde precamus ut, quotiens se facultas obtulerit, nobis salutis vestre et totius regie domus vestre prosperos et felices curetis significare rumores, ut tanto vehementius noster animus jocundetur, quanto placidius hujusmodi nova nobis grata provenient et accepta. Datum etc.

LXXVII.—*De statu.*

Quia scimus cor vestrum ferventibus votis appetere ut de incolumitante (*sic*) persone nostre vobis prospera referantur, vobis nunciamus ad gaudium nos et alios de stirpe regia grata corpororum (*sic*)⁴⁷ incolumitate letari, rogantes vos ut, quotiens se ad id nunciorum facultas obtulerit, de statu persone vestre nos vestris litteris informetis. Datum etc.

LXXVIII.—*De eodem.*

Significata nobis, vestris litteris noviter nobis missis, sospite consistentia persone et aliorum regalium domus vestre, gavisi quippe fuimus gaudio magno valde, rogantes ut frequenter nobis sospitatem vestram describere placeat, ut sepe nobis gratam jucunditatem inducat; ceterum, de tractatu pacis, quam januenses utriusque partis, ut vestra serenitas nobis scripsit, in vestra presentia nituntur resumere, quia pacto hujusmodi nec deo acceptum servitium nec mundo fructum afferre credimus, non miramur, si procedat a domino, quod eorum ad invicem distet intentio et a fructu concordie retrahantur. Datum etc.

LXXIX.—*Super eodem.*

De sospite consistentia status vestri et aliorum regalium, quam vestris nobis litteris scripsistis, in corde nostro concepto cumulo gaudiorum vobis presentibus intimare curamus, nos et alios de regia domo nos-

47 Podrá observar el lector los descuidos e incorrecciones gramaticales existentes en algunas fórmulas. Sería prolijo llamar la atención sobre cada caso. Tales incorrecciones gramaticales, como ya se advirtió en el prólogo, quedan respetadas en la transcripción.

tra, omnipotentis favente clementia, prospera sospitate letari, intimis optantes affectibus ac attentius rogantes idem de vobis per vestras frequenter nobis litteras intimari. Ceterumque, non absque admiratione multiplici, displicentiam vehementem assumpsimus de eo quod nobis scripsistis litteris cujusdam januensis nobis significatum fuisse quod stolium nostrum..., burgum et quedam alia loca vestra mari vicina, nec non et quandam cocham..., raptis prius rebus in illa, ignis incendio consumpserunt; hec autem vix possumus applicare credencie, cum per nos, vel quemcumque alium, numquam mandatum fuisset quod adversus terras, vel gentes vestras, talia perpetrarent. Notificantes vobis quod, cum capitanei et alii de ipso stolio ad gentes nostras accesserint, sic contra culpabiles rigide procedemus, quod tenebunt, et merito, talia commisisse et regalis cognoscat serenitas nos ex hoc magnam displicentiam assumpsisse. Datum etc.

LXXX.—*De eodem.*

Ex litteris vestris sepe nobis directis, clare perpendimus vobis accrescere cumulum gaudiorum, quotiens de statu nostro vobis prospera nunciatur, ideoque vobis presentibus intimamus quod nos et alii regales nostri per illius gratiam, qui salutem dat regibus, prospera corporum sospitate vigemus, et, quia de persona vestra scire appetimus illud idem, rogamus vos ut nobis frequenter describere placeat sospitem consistentiam status vestri; ad hoc occurrerunt nobis accepta plurimum que nobis significatis de spectabili nato vestro..., qui cum strenua militia et copiosa peditum comitiva se preparat, ut scripsistis, ad transitum illarum partium pro recuperatione hereditarie terre sue, confidentes in deo quod ipsum feliciter reget et diriget in agendis. Datum etc.

LXXXI.—*Super eodem.*

Serenitatis vestre litteram continentem obitum bone memorie illustris domine..., ducisse... loci, consanguinee nostre legitime, recepimus, et, que in ipsa continebantur littera, pleno intellectu collectis, magnificentie vestre significamus quod, licet humano affectu ex decessu ipsius ducisse non modicum doleamus, tamen, quia peregre et pro dei servicio expiravit et universis, que Christi fidelibus expediunt, consumatis, indubitanter eandem credimus participem fieri celestium incolarum, ex quibus consolationem assumpsimus vehementem. Ceterum ex poscente nedum humano fragilitatis defectu quinimo pie fidelium more curriculo in nostris orationibus et aliis beneficiis ecclesiasticis ipsam participem et consortem, ut nobis convenit, faciemus. Datum etc.

LXXXII.—*De statu.*

Recepimus litteram vestram, per quam intelleximus vos assumpsisse exultationem et letitiam de nostra convalescentia, et certe, fuimus ali-

quantulum impediti, set subsequenter, divina gratia mediante, convalimus nuncque corporca sospitate fruimur. Et quia de statu et sanitate vestra per vestras litteras informati fuimus, id nobis plurimum placuit, rogantes vos affectu quo possimus, ut quotiens se facultas obtuierit, de statu vestro nos vestris litteris certificare curetis, nam nos id idem de statu nostro et nostrorum vos curbimus informare. Datum etc.

LXXXIII.—*Super eodem.*

Felicem continentiam status nostri nobilitati vestre ad gaudium presentibus intimamus, scientes animum vestrum ex inde ad letitiam renovari. Noveritis itaque quod, agente illo qui salutis actor est, nos cum illustri domina Regina et liberis ac fratribus nostris lexitimis votiva perfruimur sospitate, rogantes ut statum vestrum prosperum nobis sepius intimetis. Ceterum cognoscentes aperte sinceram et promptam affectionem, quam erga nos geritis laudabiliter et gessistis, nobilitatem vestram rogamus quatenus circa ea, que honorem nostrum et regni nostri... statum prosperum respiciant, prout de vobis plene confidimus, intendatis et partes vestre sollicitudinis apponatis. Datum etc.

LXXXIV.—*De significata morte cujusdam principis.*

Christus, qui suos diligit et neminem vult perire, sic renum dolore et deinde febre lenta, continua, Serenissimum dominum et patruum nostrum, reverendum dominum..., clare memorie, Regem ... regni, voluit opprimere quod, receptis, ut princeps catholicus, sacramentis divinis, ad paradisi gaudia se contulit de tristitia hujus mundi, ... die ... anni. Qua ex re et quibusdam aliis ad Excellentiam vestram, quam nobis speramus propiciam, tanquam patris, destinamus nostros nuncios speciales, ... et ..., milites nostros dilectos, quibus dignetur regia benignitas fidem credulam adhibere super hiis, que sublimitati vestre pro parte nostra duxerint exponenda. Datum etc.

LXXXV.—*Responsiva.*

Vestram noviter recepimus litteram, presentatam nobis per ... et ..., missos nobis per vos, ipsiusque littere tenore ac dictorum nunciorum vestrorum relacione auditis, respondemus quod de significata nobis per vos morte illustris ... recolende memorie ... Regis lexitimi consanguinei nostri, quam jam ante ipsius littere receptionem perceperamus, fuit et est amaritudine plenus animus noster, sicut de morte illius, quem propter sanguinis nexum et amoris intimi vinculum carum in nostris visceribus gerebamus. Excusatum etiam vos habemus, ex causis per dictos vestros expressis nuncios, quia citius mortem dicti ... Regis nobis non significaveratis; ad recomendationem vero vestri, quam ex parte vestra dicti vestri nuncii nobis fecerunt, vobis notificamus quod vos et

vestra negotia, ut carum nepotem, recomendatos habemus et semper habere intendimus, quantum poterimus et debemus. Datum etc.

LXXXVI.—*Super eodem.*

Ex missis nobis noviter ab Excellentia vestra litteris percepimus obitum illustris principis ... Regis viri vestri, consanguinei nostri legitimi, de quo, velut de eo quem loco fratris carum in intimis gerebamus, magne tristitie et amaritudinis causam suscepimus, dolentes tam caram tamque nobis sanguinis necessitudine et indissolubili amoris vinculo conjunctam personam nobis fuisse substractam. Set in eo quod nobis per vos significatum extitit, ipsum, ut verum et catholicum principem, dies suos finisse, concepte amaritudinis aculeus fuit aliquantulum mitigatus; vobis autem, ut sorori legitime, in morte ejusdem plurimum condolemus, conspicientes vos viro et domino legitimo destitutam, intendimus tamen ad vestri consolationem, sicut petiistis, quotiens oportunitas se obtulerit, vos nostris litteris visitare. Datum etc.

LXXXVII.—*Responsiva significationis mortis principis predicti.*

Missas nobis noviter ab Excellentia vestra recepimus litteras, per quas, recitando nobis infelicem eventum incliti principis memorie recolende ... Regis, germani vestri ac consanguinei nostri, vel ut fratris nobis legitimi, inclitum ... nepotem suum, quem in regno suo successorem relinquit, nobis duxistis intime comendandum; et, premissis ac aliis in ipsis serenitatis vestre litteris contentis plene collectis, Excellentie vestre taliter ducimus respondendum quod novit Altissimus mortem dicti illustris Regis germani vestri amare pertulimus, cum, ultra sanguinis unitatem qua ad invicem jungebamur, nobis causas laudabiles, ob quas ipsum multum carum habere debeamus, plurimas prebuisset. Set finis ejus comendabilis exitus nobis consolationis materiam ministravit; predictum autem inclitum ..., dicti Regis bone memorie et vestri nepotem, nostrum consanguineum dilectum, dicti Regis patru sui ac vestri speciali consideratione et ob nexum sanguinis quo nobis jungitur libenter recomendatum habebimus, sibique in agendis benigne nos exhibebimus, in quantum tamen poterimus, absque lesione regii juris nostri, quod ante omnia, ut vestra perpendere potest discreta serenitas, conservare tenemur. Datum etc.

LXXXVIII.—*De statu responsiva et super quibusdam aliis.*

Rumores admodum displicibiles ad nos directe vestre celsitudinis littere perduxerunt, quod inclitus ... princeps quoque frater vester nosterque avunculus legitimus, die ..., spiritum suum reddidit creatori, super cujus obitu prematuro, quamvis non absque lacrimis possimus, suadente copula sanguinis, pertransire, consolationis tamen materiam ec

sumpsimus quod cristianissime vir catholicus nature persolvit debitum, prout vestre littere attestantur. Ceterum, memoratum principem tanto diligentius presumimus in suo postremo iudicio provide rebus suis et inter filios prospexisse, quanto discretionem ejus fuisse providam arbitramur, nec ulla nos tenet dubitatio, quoniam celsitudini vestre regie inotescat quod ad illustrem ... ejus filiam ... provincie Dispinam, incliti ... lexitimi patris nostri conjugem, dispicatus ... jure liquido, sicut aliter vobis scripsisse recolimus, noscitur pertinere, quod et ipsum principem, quamquam sinistro, dum vixit, ductus consilio, contrarium aliquoties rescripsisset, in suo postremo predicto iudicio credimus indicasse; occurrit autem nobis quod inter cetera que regie magestalis eminenciam sublimant et exornant, ille non sunt inmodice set precipue rationes, tollere videlicet scandala, dissensiones, fomites amputare et omnem erradicare materiam jurgionum⁴⁸. Quocirca altitudinem vestram solercius deprecamur quatenus, obviando scandalis, que verisimiliter aliter occurrerentur inter prefatos ... et ... ex una parte et ... imperatricem consortem predicti ... principis quoque et ejus filios ex altera, velit dare opere et operam efficaces, quod memorata Dispina absque contradictione aliqua possessionem castrorum et civitatum disportatus?⁴⁹, que dictus princeps tenebat, libere valeat adipisci. Si enim, princeps magnifice, secus fieret, parata videmus scandala inter eos quibus nos finaliter defficere non possemus, cum jura memoratorum ... et ..., vel fratrum nobis lexitimorum, tanquam propria diligamus et eorum honorem prosequi affectemus. Datum etc.

LXXXIX.—*Super quibusdam statum regium tangentibus.*

Nuper ad contenta in quadam littera vestra, quam nobis misistis per ... militem, super negotio quod scitis, de quo inter nos et vos apud ... locum verba fuerunt familiariter dicta, vobis inter cetera rescripsimus quod nos dictum negotium, prout diligentius et a pericioribus quos habere possemus, faceremus examinari, et ex tunc quod per nos reperiretur, vobis ante ... festum intimare curaremus. Persistentes autem in hoc et volentes sic procedere, arripuit nos, sicut domino placuit, jam dum rediremus, loci febrilis discrasia, que etiam, dum in ... loco stetimus, esse quartanam dupplicem demonstravit, de qua ab illis citra diebus et adhuc gravibus accessionibus molestamur adeo, quod, nec in predicto negotio, sicut expressius et specialibus animo gerebamus, nec in alio quomodolibet vaccare potuimus, neque possumus intendere quoquemodo. Sane, cum prescriptum negotium, vel ut plurimum tangens nos et regnum, in presentia nostra et non

48 Por *jurgiorum*.

49 La palabra no se lee con claridad a causa de haber sido enmendada una de sus letras.

aliter sedule examinari velimus, sic quod nemini aliter comitteremus, ut possimus de veritate rei apertius informari et inde vobis quod invenerimus intimare, rogamus serenitatem vestram, quatenus a qualibet declaratione et manifestatione, quam scripsistis vos futurum subditis nostris ex ordinatione et voluntate vestra, super predictis, desistere et cessare velitis usque ad sextum resurrectionis domini proxime nunc venturum, vel saltem usque quo ad plenam convalescenciam, actore domino, ab infirmitate qua premimur fuerimus liberati, et continuo teneatis e certo nos circa hec absque intermissione qualibet processuros et significaturos vobis quod invenerimus in premissis et habebimus istud gratum. Datum etc.

XC.—*Responsiva civibus et burgensibus.*

Audito noviter casu mortis ... Regis, quia nobis tam grandi nature debito jungebatur et quia nos et eum firme dilectionis sinceritas tenebat veraciter adjunctos, cor nostrum nimii doloris compunxit anxietas ac turbavit, placuissetque nobis vehementissime, si processisset ab alto, quod dies ejus feliciter protraxisset in eum. Sane, qui traditum nobis adeo regimen nos astringit, ut jura regalia conservemus, nuncios ad vos? ... et ... harum exhibitores informatos a nobis plenarie de quibusdam pro nostra parte vobis oretenus explicandis, adhibeatis igitur firmam fidem hiis omnibus, que pro nobis vobis duxerint exponenda. Datum etc.

XCI.—*Eisdem.*

Cum nos intendamus quod regnum ... et insulas ... et ..., que fuerunt illustris ... Regis consanguinei nostri, lexitimi memorie recolende, ad nos ex substitutione apposita in testamento domini ... Regis, avi nostri felicis recordationis, et ex causis aliis sunt legitime devoluta, et intellexerimus quod inclitus et lexitimus nepos noster ..., filius incliti infantis ... bone memorie, nunc se Regem dicti regni de facto intitulat et dominari nititur in regno et terris predictis et intendit a vobis homagium recipere et se per vos in dominum recognosci, quod vos facturos non credimus, nec assentire in talibus, ut pote qui fidem vestram in omnibus illesam servare consuevistis et tenemini ac debetis potissime, cum ex convenienciis hinc et inde factis juramento et homagio vallatis et per vos firmatis ea non debeatis facere, ut patet ex eis, propterea vos requirimus vobisque expresse mandamus quatenus dicto ... inclito ... non faciatis homagium, nec habeatis ipsum, nec recognoscatis in dominum, nos enim, prout ad nos pertinet, in brevi certificare vos intendimus multum clare de jure quod habemus et habere intendimus in predictis. Datum etc.

XCII.—*Circa idem quasi domino Regi ex parte fidelium.*

In humanis nil melius reperitur quam vera fidelitas in subjectis, nec valent occasui subjacere qui domini sui comoda nituntur totis viribus promovere ac ejus jura inviolabiliter conservare; unde, cum ... princeps, Rex ... regni, preclare memorie, sequutus dispositionem suorum serenissimorum parentum in suo testamento instituerit universalem serenissimum dominum ... primogenitum incliti ..., memorie recolende, nunc dei gratia Regem ... regni, ad nostrum dominum predilectum, nisi serenissima domina Regina ejus consors postumum pariat, nos nittimur totis viribus prefata jura ac comoda serenissimi domini nostri prelibati promovere, ut tenemur, ac inviolabiliter conservare, inter cetera, nunc obviantes cum debita reverencia nude voluntati serenissime domine Regine prelibate volentes⁵⁰ penitus recedere a castro regio ... loci, ejus honori et honestati congruo, ubi decenter sua familia more solito habitat, nec non disponentis accedere causa habitandi ad unum hospitium hujus ville. Nos volentes circa hoc occurrere, ut tenemur pro conservatione juris illustrissimi predicti domini Regis nostri, capropter vestre serenissime magestati duximus destinandos ... et ..., qui premissa vestre preclare magestati clarius declarabunt; hoc autem facimus, ut vestra regia magestas agnoscat nos non fecisse premissa ob contemptum serenissime domine Regine antedictae, cum eam in eximia reverencia habeamus, set ob conservationem juris premissi preclarissimi domini Regis nostri et ne peregrina informatio viam veritatis in vestro aspectu magnifico valeat obumbrare. Rerum altissimus conditor vestram felicissimam magestatem protegat per tempora longiora ac regnum vestrum in pace faciat conservari, ut optamus. Datum etc.

XCIII.—*Responsiva littere predictae.*

Vidimus nuncios vestros, scilicet ... et ..., qui nobis vestram litteram presentarunt et intelleximus tam tenorem littere quam que ipsi clarius declaraverunt nobis super contentis in vestra littera supradicta. Et quia dicti nuncii supplicarunt nobis, ex parte vestra, ut pro hiis, de quibus nobis scripsistis, illustri ... Regine lexitime sorori nostre scribere dignaremur, volentes supplicationibus vestris annuere in hac parte, scribimus inde per nostram litteram memorate Regine, consulendo sibi que facere debeat in premissis juxta sui decentiam honestitatis; unum tamen omittere nolumus, quod continetur in missa nobis per vos littera supradicta; asseritis enim quod illustris lexitimus consanguineus noster bone memorie Rex ... regni inclitum ... et incliti infantis ... bone memorie filium in suo testamento heredem universalem

50 Por *volentis*.

instituit, nisi prefata Regina ejus consors postumum pariat, quod nobis clarum inducit periculum, quia jam memorato ..., inconsulte, ut Regi ... regni et vestro domino adhesistis, scientes fore possibile dictam Reginam ex masculo remansisse pregnantem et in factis fidei non sit oborrendum set via tutior eligenda. Est etiam alia causa precipua, que debuit vos retrahere a premissis, quam scimus vos minime ignorare, cum sit nobis nota notarie de substitutione apposita in testamento domini ... recolende memorie Regis ... regni, avi nostri, secundum quam intendimus nos regnum et alias terras fuisse ad nostrum plenum dominium devoluta; debuistis igitur, ante quam in tantum processissetis, finem expectare negotii supradicti, et si cautius processeritis, utemini consilio saniori. Datum etc.

XCIV.—*Littera de qua superius mentio habetur, que Regine dirigitur.*

Serenitati vestre intimamus quod consules et probi homines ... ville significarunt nobis noviter, per nuncios et litteram nobis comissos, qualiter vos intendatis exire ... castrum causa alibi habitandi in dicta villa, ad quod ipsi obviarunt, tenentes potius honori et honestati vestre congruere non exire, supplicantes nobis ut vobis super eo scribere dignemur. Nos autem considerantes quod vos, ut legitimum sororem, tenemus et debemus in omnibus vestris negotiis dirigere vobisque consulere in agendis et precipue in tali et tanto casu, notificamus vobis quod videtur nobis omnino expediens hocque nostrum habet consilium, ut debeat remanere in castro predicto, utendo societate honesta atque decenti, attenta potissime ordinatione, quam illustris ... bone memorie Rex legitimus consanguineus noster, vir vester, fecisse dicitur in suo ultimo testamento, quod, si postumum peperitis, sit Rex et ejus universalis sucesor; hec itaque ad vestre serenitatis notitiam defferimus, pro consilio saniori, intendentes illos errasse, qui, non expectantes finem rei predictae, contra hoc aliter processerunt. Datum etc.

XCV.—*Super extractione tritici a civitate Dertuse* ⁵¹.

Illustri domine ... Regine Aragonum, dei gratia conjugii nostre legitime, tutrici et aministratrici persone et honorum infantis..., Marchio-

⁵¹ Marginalmente se leen estas palabras: *Recurratur retro in... pagina ad hoc signum formis extractionum picis et tritici ac equorum*. Y bajo ellas hay dibujado un *signum*, constituido por una cruz con un punto en cada ángulo.

El autor remite, como se ve, a las fórmulas para la extracción o exportación del pescado, trigo y caballos insertas en páginas anteriores. La referente al trigo debía ser una de las contenidas en los tres folios que se perdieron, a los que aludí oportunamente (véase la nota correspondiente a la fórmula núm. XXVII), así como la relativa al pescado, de la que, como se hizo observar, sólo quedó el epígrafe. Ello permite sospechar que las tres estuviesen escritas, una a continuación de otra. Esta, para Tortosa, podría darnos idea de la otra perdida.

nis ... civitatis ac domini ... loci, Alfonsus per eandem Rex etc, salutem etc. Noveritis quod ..., civis ... civitatis, extrahit vel extrahere debet de dicta civitate de nostro beneplacito et permissu tot cafficia tritici ad mensuram dicte civitatis, defferenda ad quascumque partes voluerit, sarracenorum et inimicorum partibus dum taxat exceptis, quare volumus ut predicta bajulo ... civitalis notificetis, quod, dicto ... assecurante in posse suo quod dictum triticum ad dictas partes et non ad alias defferatur, predicto ... vel alii pro eodem dictum triticum extrahenti nullum contrarium faciat, imo ipsum extrahi, quacumque inhibitione inde facta minime obsistente, permitat, et quod teneatur defferre albaranum testimoniale bajuli illius loci, in quo dictum triticum fuerit discarricatum, cavendoque ne pretextu hujus concessionis ulla major quantitas bladi per aliquem extrahatur, et etiam prenomiatus ... extrahat seu extrahi faciat dictam frumenti quantitatem, et quod gratiam hujusmodi non possit vendere, donare, seu in alium transferre, quod si fecerit, non valeat gratia supradicta. Preterea intendimus quod dictus ... extrahat seu extrahi faciat a dicta civitate dictum triticum, hinc ad unum annum a data presentium in antea continue numerandum, quas in extractione ipsa per ipsum bajulum retineri jubemus. Datum etc.

XCVI.—*Rogatoria de supersedendo in quodam processu per dominum patriarcham fiendo.*

Licet, frater lexitime, ex causis rationalibus atque veris que, magistra rerum experientia suadente, nostrum ad id animum induxerunt, votis ardentibus cupiamus ut a regno Valencie cona⁵² sarracenorum spurcicia expellatur, quia tamen inquisitio contra eos, ut scitis fieri ordinata, quam eos esset impossibile non latere, ipsos ad iniquum propositum incitaret et isto potissime tempore, quo inter nos et Regem Granate dura guerra vigente, illis dari posset occasio, ut nunc, opportunitate captata, iniquitatem, quam jam ante conceperant, percurrerent, sintque talia in comissione contenta, que regnum Valencie a tam detestandis spurcicis et neffariis infeccionibus mundum⁵³ non absque reprehensione nostra notabili multipliciter diffamaret, nec nobiles et potentes in suo dominio inquisitionem hujusmodi forsitan sustinerent, idcirco, cum ad hoc, isto precipue tempore, procedi non debeat, ne scandalum, error, infamia atque periculum subsequantur, neque nobis impingi valeant super hiis crassa ignorantia, necligentia, vel deffectus, ideo fraternitatem vestram intima cordis affectione rogamus quatenus super hiis velit ad presens supersederi mandare et statim domino pape scribere, supplicando, adjectis predictis causis et aliis efficacibus que a vestra pruden-

⁵² Esta palabra o la que anteriormente estuviere escrita fué objeto de raspados y enmiendas; pero se lee ahora claramente *cona*.

⁵³ Por *mundum*.

tia poterunt cogitari, ut inquisitionem ipsam omnimode tollat, vel ipsam usque ad tempus opportunum suspendat, ne status ipsius regni non absque nostra necligentia et dicti regni infamia, prout Valencie episcopus latius vobis scribit, ex hoc valeat subplantari. Datum etc.

XCVII.—*Rogatoria.*

Grata multum et accepta servicia, per religiosum fratrem ... commendatorem ... loci nobis exhibita, nos ex gratitudinis debito induxerunt, quod vos tam verbo quam scriptis, si bene recolitis, rogaremus ut statum ipsius grosse prosequi deberetis. Sane, cum affectus noster erga fratrem ipsum, suis exigentibus meritis, augeatur, idcirco gerentes cordi ut idem frater augmentis continuis moveatur, vos affectuose rogamus quatenus ipsum prosequamini beneficio ampliori, taliter, quod vos prosequi teneamur condignis actionibus gratiarum. Set, si forsan ad presens potioem ei beneficenciam faciendam non ingerat se facultas, rogamus vos, efficaciter et instanter, quod ipsum teneatis in statu preceptorie pretacte, sub ea responsione dum taxat quam nobis nunc prestat, eidem onera graviora nullatenus agregando, quoniam in hoc complacbitis nobis multum et regraciabimur vobis illud. Et licet, propter importunitatem petentium, vobis pro aliis ex simili causa scribamus, verum tamen scire vos velumus⁵⁴ quod preces hujusmodi, tanquam ex animo procedentes, volumus et rogamus ceteris omnibus anteferri illasque precamur pre ceteris ad effectum perduci. Datum etc.

XCVIII.—*De recessu domini Regis.*

Frater lexitime, significamus vobis quod, licet nos intenderemus infra breviores dies a ... civitate recedere, ad partes ... civitatis personaliter accessuri ratione concilii celebrandi inibi, sicut scitis, attamen, supervenientibus nobis hic quibusdam expressis negotiis, oportet nos in partibus istis amplius moram trahere et dictum recessum nostrum per dies aliquos prorogare, videlicet, usque ad ... diem proxime nunc venturam, qua die ordinavimus et intendimus a dicta ... civitate, deo duce, recedere et ad dictam civitatem ... continuatis dietis decentibus dirigere gressus nostros. Hoc autem fraternitati vestre intimandum providimus ut inde certitudinem habeatis et prelatos ac alios, qui ad dictam civitatem ... ex causa premissa convenient, valeatis de nostro hujusmodi ex causis premissis prorogato progressu et proposito informare. Datum etc.

54 Decía primitivamente *velimus*, se agregó un trazo a la *i* para que dijese *volumus*, y como no se transformó la *e* en *o*, quedó *velumus*.

XCIX.—*Responsiva.*

Recepimus noviter litteram vestram quam super diminutione et lesione domini, ditionis ac nostre regalie, quam habemus in ... villa et hominibus habitantibus in eadem, et super quibusdam prejudicialibus jurisdictioni nostre et nostrorum officialium Aragonum in villa predicta super quibus ea, que nobis et ipsis officialibus notorie competeabant, per castellanum et fratres ordinis multipliciter circumventi reduxeramus in recidive certamine questionis ea non nullis iudicibus comitendo, nobis noviter transmisistis. Quibus intellectis ad plenum, vestram quam super conservandis juribus nostris diligentiam adhibetis merito comendantes, vobis ducimus respondendum quod jam super premissis inclitus infans ..., legitimus primogenitus ac generalis procurator noster, suam nobis informationem transmisit, cui rescripsimus nostre propositum voluntatis, intendentes super eis omnibus ad indemnitatem jurium nostrorum et ordinis supradicti, prout suaserit ratio et juris ac justitie exegerit sanccio, providere. Datum etc.

C.—*Super treugis per dominum Regem dandis.*

Nobili et dilecto nostro ... salutem etc. Noveritis nos ex regalia nostra treugas dedisse in guerra, que est vel esse speratur inter vos seu valitores vestros ex una parte et ... et ejus valitores ex altera, duraturas hinc ad ... menses tempus a data presentium etc. Quare vobis dicimus et mandamus quatenus treugas predictas per vos seu valitores vestros observetis et observari per dictum tempus inviolabiliter faciatis, nos enim dicto ... nostras consimiles litteras destinamus. Datum etc.

CI.—*Inductio super elongadis⁵⁵ debitis.*

Cum ... teneatur et sit obligatus ... judeo ... loci, in ... quantitate, et nos ratione privilegiorum judeis terre nostre concessorum ipsum bono modo non possimus ab ipso debito elongare, set placet nobis quod ipse judeus elonget ipsum debito supradicto, idcirco vobis dicimus et mandamus quatenus, visis presentibus, viis et modis quibus poteritis, inducatis dictum judeum dicti ... creditorem ut ipsum elonget a debito ipso, usuris et penis cesantibus quibuscumque, hinc ad duos annos, ita quod prenominatus ... assecuret idonee, nisi jam assecuraverit, quod medietatem in fine secundi anni judeo predicto exsolvat, exprimendo ei quod id nobis adveniet gratum, eo quia dictus ... in ... viagio nobis servitium prestitit fideliter (*sic*) et devote. Datum etc.

55 Por *elongandis*.

CII.—*Provisio super restaurando aliquo casali mole debitorum oppresso.*

Considerantes casale et alia bona, que fuerunt ... quoque qui in servicio nostro in conflictu quem habuimus in ... acquisitione expiravit, fore adeo mole debitorum oppressa, quod, nisi ex benigna et assucta clementia regia subveniatur ... ejus filie et heredi, casale et ipsa bona penitus destruerentur, id circo pro restauratione dicti casalis ex hac specialis (*sic*) gratia et provisione nostra in favorem dicte heredis, sic duximus tenore presentium providendum quod, dicta herede, seu ... tutore ejusdem, assecurante in posse ... justitie, nisi jam assecuratum sit, de solvendo suis creditoribus, usuris et penis cesantibus quibuscumque, infra quatuor annos a data presentium numerandos tot solidos in quibus tenetur eisdem, videlicet hinc ad unum annum quartam partem et in fine cujuslibet aliorum trium annorum residuam quartam partem; nolumus ipsam heredem, seu dictum ejus tutorem, nec eorum bona, aut hominum dicte heredis, nec debitorum aut fideiussorum pro ipsis debitis obligatorum compelli ad solvendum aliud creditoribus supradictis. Quare per presentes mandamus dicto ... justitie ceterisque officialibus etc., quod hujusmodi provisionem nostram observent et faciant inviolabiliter observari. Datum etc.

CIII.—*Responsiva universitati.*

Ex vestrarum litterarum quas nobis noviter detinastis tenore collegimus quod, die dominica proxime nunc transacta, ad locum predictum galee inimicorum accesserunt, cum quibus prelium habuistis et vos ab eis, favente vobis fortuna felici, prout dictarum continebat series litterarum, viriliter defensastis cum eis tanquam viri constantes et in omnibus circumspecti strenue debellando, quibus perceptis et plenarie intellectis, regius animus munera⁵⁶ ingentis exultationis assumpsit, constantem fidelitatem quam ad tuitionem dicti loci ab experte novimus vos habere, gloriosa laude pro inde merito prosequentes. Mandantes vobis quatenus laudabili fine continuando quod laudabiliter incohastis, sic circa tuitionem et defensionem loci predicti vires et animos assumendo sitis pervigiles et intenti, quod dictum locum possitis ab incursibus hostium defensare et vestra fidelitas de bono in melius assidue peracrescat. Datum etc.

CIV.—*Super subsidio postulando ratione guerre.*

Ecce, fili lexitime, quod nos ad animum revocantes grandem injuriam et offensam, quam gentes Regis ..., in invasione ... loci, nobis ut scitis pridie intulerunt, insurgere cogimur non imerito ad vindictam, ad

⁵⁶ Por munera.

quam subditorum nostrorum subsidium nobis dinoscitur multipliciter opportunum, pro cuius exactione subsidii nos personaliter ordinaveramus ad partes illas accedere, nisi alia urgentia negotia nos a concepto proposito deviassent, unde cogitantes quod per vos personaliter qui nostram representatis personam subsidia ipsa melius exigentur, informavimus, super premissis omnibus et super modo solito quem circa hec tenere debeatis, dilectum ..., cui volumus quod credatis in hiis, que vobis super premissis pro parte nostra retulerit viva voce. Datum etc.

CV.—*Super eodem hominibus cujusdam civitatis.*

Ad omnium vestri notitiam, saltem fama publica referente, credimus jam deductum qualiter gentes Regis... pridie hostili more ... locum, quem invenerunt armis et hominibus immunitum, subito accedentes, ipsum cum violencia invaserunt et captivarunt personas, expilarunt bona et multa ibi enormia comisserunt, ex quo non immerito provocati insurgere cogimur ad vindictam, ad quam, subditorum nostrorum subsidium noscentes nobis multipliciter opportunum, disposuimus ad partes illas personaliter proficisci, nisi alia urgentia negotia que nostrum propositum deviarent nobis noviter occurrissent. Quo circa credentes firmiter quod pro tam arduis negotiis, in quibus pendet et vertitur corone regie ac fidelium omnium subditorum nostrorum honor et gloria, debito native fidelitatis inducti ad subveniendum nobis unanimiter assurgetis, mitimus ad vos inclitum infantem..., filium nostrum legitimum, ut, in filio patris ymaginem figurantes, ad faciendum nobis copiosum subsidium vestra fidelitas excitetur. Ideo universitatem vestram requirimus et rogamus attente quatenus causam nostram, que vos principaliter velut caput nostre celsitudinis tangere noscitur, viriliter assumentes et infantis predicti exortationibus annuentes, nobis in tante necessitatis articulo quod nos et vos deceat faciatis subsidium, pro jam dictis negotiis, actore domino, feliciter exequendis, credentes hiis, que dictus infans super premissis vobis pro parte nostra et sua retulerit viva voce. Datum etc.

CVI.—*Super eodem dicto infanti.*

Ad nostram noviter accedentem presentiam dilectum consiliarium nostrum ... super infrascriptis negotiis pro parte vestra et reverendi in Christo patris ..., divina providentia Archiepiscopi ... civitatis, cancellarii nostri dilecti, plenarie informatum gratanter audivimus, et ea, que super subsidiis et demandis quas peti ab aldeanis providimus nobis serius retulit viva voce, intelleximus diligenter. Quibus vobis breviter respondemus quod, cum predictorum subsidiorum exactio per nos vel vos personaliter habeat necessario fieri et ex nostra vel vestra presentia magis votivum et plenum consequitur effectum, volumus quod, ex quo nos ad presens non possumus petitioni hujusmodi interesse, vos

una cum dicto Archiepiscopo, si vobiscum ad hec voluerit aut potuerit comode interesse, et cum illis de vestro consilio de quibus vobis videbitur et cum dilecto consiliario nostro ... predicta petatis subsidia et vos habeatis cum consilio predictorum circa premissa, prout in talibus assuetum est sollicite et attente. Datum etc.

CVII.—*Archiepiscopo super eodem.*

Ad nostram noviter accedentem presentiam dilectum consiliarium nostrum ... super infrascriptis negotiis pro parte incliti infantis ... et vestra plenarie informatum audivimus, et ea, que super subsidiis et demandis quas peti ab aldeanis providimus nobis serius retulit viva voce, intelleximus diligenter. Sane, quia ad petitionem hujusmodi presentia nostra vel dicti infantis multum dinoscitur opportuna, predicto infanti rescribimus quod, ex quo nos ad presens premissis interesse nequimus, ipse vobiscum, si hiis volueritis aut potueritis comode interesse, et cum aliis de suo consilio et ... baiulo premissa omnia personaliter exequatur. Igitur hec vobis significanda providimus, ut in infanti predicto et aliis supradictis vestrum prebeatis consilium et intentionis vestre eis propositum reseratis. Datum etc.

CVIII.—*Super expellendis sarracenis a quodam loco qui christianis populari debet.*

Attendentes quod in donatione et concessione et assignatione, quam serenissimus dominus ... recordationis inclite Rex ..., proavus noster, olim fecit venerabili episcopo et capitulo ... Ecclesie, ad proprium, franchum et liberum alodium, de castris et villis suis ... loci et ..., sitis in ... provincia, inter cetera contenta in ipsa donatione retinuit quod sarraceni inibi remanerent, prout in carta ipsius domini Regis acta ... loco et die plenius continetur, id circo, cum vos venerabilis in Christo pater... divina providencia... civitatis episcopus, attenta ipsorum⁵⁷ [sarracenorum nequitia, quamlicet occultam gerat in animo, ipsam tamen nequiter in apertum vel in actum] producere, captata temporis oportunitate, valerent, vehementer obtetis ut, ad laudem Altissimi et ut in locis eisdem, ubi perfidi Mahometi consueverunt laudes extolli, cultus celebretur divinus et nomine domini nostri Ihesu Christi jugiter conlaudetur, castra et loca ipsa populentur tantum modo christianis, nobisque supplicaveritis ut, non obstante dicta retentione per dictum dominum Regem facta, vobis super hoc dignaremur licentiam impertiri, propterea ex causis predictis inducti et ut fidei catholice palmites ibidem

⁵⁷ Todas las palabras siguientes hasta *actum* están, en el texto, entre líneas, y las he intercalado de esa forma —aparte de que su misma colocación también lo permite—, porque así queda mejor el sentido.

ulterius dilatentur, cum presenti carta nostra concedimus vobis Episcopo supradicto vobisque auctoritatem, licentiam ac facultatem liberam impertimur, quod vos, non obstante retentione predicta, omnes et singulos sarracenos comorantes in dictis castris et villis et eorum terminis et pertinentiis possitis ab eis et eorum quolibet abicere et prorsus expellere et dicta castra et eorum terminos christianis tantummodo populare, ita tamen, quod dicti sarraceni salve pariter et secure cum uxoribus, filiis, familiis et cum omnibus bonis mobilibus et semoventibus eorundem ab ipsis castris et eorum terminis, dato eis ad hoc competenti termino, expellantur, quodque salvi, ut premitur, et securi cum premissis omnibus possint ab inde discedere et ad alia loca pro libito se transferre; possessiones autem, terras et predia et bona cetera sedencia eorundem possitis christianis dare, concedere et distribuere, prout vobis melius videbitur expedire. Mandantes cum presenti carta nostra procuratori nostro ejusque vices gerentibus, justitiis, bajulis nostris generalibus et specialibus et aliis officialibus et subditis nostris, presentibus et qui pro tempore fuerint, quod premissa omnia firma habeant et observent et ab omnibus faciant inviolabiliter observari et non contraveniant nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione, immo prestant vobis dicto Episcopo ac vestro capitulo, si necessarium fuerint (*sic*), auxilium, consilium et juvamen, nullo a nobis super hoc mandato alio spectato. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

CIX.—*Quando conceditur alicui quod possit ad titulum militie promoveri.*

Cum ex certificatione et informatione prehabita liquide nobis constet, quod vos dilectus consiliarius noster... ab ingenuis proavis et progenitoribus ac generosis parentibus processistis, sic quod tanquam a genere generoso trahens originem potestis licite ad gradum milicie promoveri, idcirco, ut vos dictus..., non obstante quod aliqui ex premissis nonnullis publicis vel aliis officiis et actibus que generosos non decet se forsitan ingesserint, possitis a quocumque volueritis militari cingulo decorari, plenam et liberam ex certa scientia de plenitudine regie potestatis concedimus facultatem, volentes ac etiam decernentes quod de cetero illis omnino privilegiis, libertatibus et immunitatibus gaudeatis, quibus gaudent et gaudere possunt et debent generose persone. Mandantes per hoc presens privilegium universis et singulis officialibus nostris, vel eorum locatenientibus et subditis nostris quibuscumque, presentibus et futuris, quod hanc gratiam et concessionem nostram firmam habeant et observent et faciant inviolabiliter observari et non contraveniant, aut aliquem contravenire permittant aliquo jure, causa vel ratione. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

CX.—*Quando dominus Rex concedit alicui carregador in aliquo loco in littore maris situato.*

Attentis serviciis etc., cum presenti carta concedimus vobis... consiliario nostro et vestris perpetuo successoribus, dominis tamen castri siti in littore maris in... regno, quod habeatis carregador ⁵⁸ in dicto castro, hoc modo, quod vos et successores vestri in dicto castro, nec non homines, tam cristiani quam sarraceni, inibi habitantes et habitaturi, possitis libere absque requisitione seu licencia nostri vel officialium nostrorum caricare et discaricare in maritima, seu plagia dicti castri, vinum, frumentum, ordeum, annonam et quascumque alias res et merces non prohibitas, que sint de termino dicti castri et ea seu illas portare, seu portari facere, ad quocumque loca volueritis, inimicorum et sarracenorum partibus dumtaxat exceptis, ita tamen quod vos et successores vestri in castro predicto teneamini servare generales inhibitiones factas vel faciendas per nos vel successores nostros in... regno. Mandantes cum presenti... et... ceterisque officialibus etc, quod predicta vobis et successoribus vestris inviolabiliter observent et contra ea non veniant etc. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

CXI.—*Super eodem.*

Quia fidelis devotionis constantia, qua vir nobilis et egregius..., vicecomes, ad nos et inclitam domum nostram gerere comprobatur, multipliciter promeretur ut ipsum et nobiles natos suos congruis favoribus prosequamur, ideo predicto... vicecomiti atque nobilibus natis suis... et... nostro servicio nunc personaliter insistentibus, cum presenti carta nostra concedimus quod, non obstante inhibitione quacumque a qua presentem concessionem nostram excipi volumus et excludi, possint de castro et portu..., absque prestatione juris cujuslibet vel directi nobis in hiis quomodolibet competentis, frumentum, ordeum, granum et alia queque victualia, que tamen sint de locis et terris eorum, extrahere, vel extrahi facere et ad partes Cathalonie aut alias cismarinas nostri domini ad provisionem eorum hospicii transmittere, vel portare. Quo circa, dantes et concedentes eisdem super premissis et singulis plenam et liberam facultatem, mandamus per presentem cartam nostram gubernatori, administratori generali et aliis officialibus nostris dicti regni, presentibus et futuris, quod presentem concessionem nostram firmam habeant et observent et nullum jus vel directum pro parte curie nostre vel alius? ⁵⁹ petant, exigat, aut recipiant pro premissis. In cujus rei testimonium presentem fieri etc. Datum etc.

⁵⁸ Por *carregador*.

⁵⁹ Podría transcribirse también *aliter*.

CXII.—*Littera rogatoria cuidam Regi missa pro quadam remissione fienda.*

Dudum, inclite princeps, cum grata et utilia servicia per fidelem scriptorem nostrum... illustri consanguineo nostro... bone memorie... Regi patruo vestro et utriusque nostrum fideliter prestita merentur, ut super hiis, que sibi ad quorundam emulorum suggestio invida impingebat, etiam ubi culpabilis appareret a vobis veniam obtineret, pluries magnificentie vestre preces nostras meminimus direxisse, ut cum preces nostre suis preponderarent excessibus, si quos forsitan commississet, vestra serenitas regia, que ipsum ut pro certo didiscimus sine causa a sui favoris gratia elongarat, omnem ab animo informationem sinistram adversus eum conceptam expellens, deberet ei honore nostri liberaliter indulgere, reducendo eundem in vestri favoris gratia et omnis processus contra eum et fideiussores ab eo datos remittendo benigne ac omnia bona per officialis vestros ab eis capta vel habita restitui faciendo. Sane, quia nondum votis nostris super hoc extitit satisfactum, ideo, cum premissa multum insideant cordi nostro et ex connexis ad invicem vinculis teneamus quod alter alterius preces presertim sic efficaces admittere debeat et subditis suis etiam atrociora crimina indulgere, propterea, preces precibus cumulantes, magnificentiam vestram intime deprecamur quatenus honore nostri et precum hujusmodi, que ex cordis affectu procedunt, intuitu nobis, quod totiens pro dicto ... postulavimus concedatis, vel saltem permitatis ipsum, in eundo, stando et redeundo, securum et tutum vestram adire presentiam, ut sibi obiecta signata veritatis essentia valeat confutare et se ab illis sibi falso apposis argumentis veridicis expiare; scimus enim quod idem serenitatem vestram de talibus informabit quod vobis cedit utique ad magnum commodum et honorem. Datum etc.

CXIII.—*Super eodem cuidam consiliario.*

Ecce quod nos illustri consanguineo nostro... Regi, post assuete salutationis preambulum, scribimus per hec verba: dudum, inclite princeps etc. Cum autem, sicut ex premissis poteritis clare colligere, vehementer cordi geramus predicta que petimus obtinere, idcirco vobis, de cuius sinceritate confidimus, affectuose rogamus quatenus sic honore nostri apud Regem predictum curetis insistere et interponere sollicitudinis vestre preces, quod alterum de premissis nobis concedat et nos ad intercedendum pro illo ulterius non inducat. Datum etc.

(Continuará.)

M. USÓN SESÉ.